This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Over dit boek

Dit is een digitale kopie van een boek dat al generaties lang op bibliotheekplanken heeft gestaan, maar nu zorgvuldig is gescand door Google. Dat doen we omdat we alle boeken ter wereld online beschikbaar willen maken.

Dit boek is zo oud dat het auteursrecht erop is verlopen, zodat het boek nu deel uitmaakt van het publieke domein. Een boek dat tot het publieke domein behoort, is een boek dat nooit onder het auteursrecht is gevallen, of waarvan de wettelijke auteursrechttermijn is verlopen. Het kan per land verschillen of een boek tot het publieke domein behoort. Boeken in het publieke domein zijn een stem uit het verleden. Ze vormen een bron van geschiedenis, cultuur en kennis die anders moeilijk te verkrijgen zou zijn.

Aantekeningen, opmerkingen en andere kanttekeningen die in het origineel stonden, worden weergegeven in dit bestand, als herinnering aan de lange reis die het boek heeft gemaakt van uitgever naar bibliotheek, en uiteindelijk naar u.

Richtlijnen voor gebruik

Google werkt samen met bibliotheken om materiaal uit het publieke domein te digitaliseren, zodat het voor iedereen beschikbaar wordt. Boeken uit het publieke domein behoren toe aan het publiek; wij bewaren ze alleen. Dit is echter een kostbaar proces. Om deze dienst te kunnen blijven leveren, hebben we maatregelen genomen om misbruik door commerciële partijen te voorkomen, zoals het plaatsen van technische beperkingen op automatisch zoeken.

Verder vragen we u het volgende:

+ *Gebruik de bestanden alleen voor niet-commerciële doeleinden* We hebben Zoeken naar boeken met Google ontworpen voor gebruik door individuen. We vragen u deze bestanden alleen te gebruiken voor persoonlijke en niet-commerciële doeleinden.
+ *Voer geen geautomatiseerde zoekopdrachten uit* Stuur geen geautomatiseerde zoekopdrachten naar het systeem van Google. Als u onderzoek doet naar computervertalingen, optische tekenherkenning of andere wetenschapsgebieden waarbij u toegang nodig heeft tot grote hoeveelheden tekst, kunt u contact met ons opnemen. We raden u aan hiervoor materiaal uit het publieke domein te gebruiken, en kunnen u misschien hiermee van dienst zijn.
+ *Laat de eigendomsverklaring staan* Het “watermerk” van Google dat u onder aan elk bestand ziet, dient om mensen informatie over het project te geven, en ze te helpen extra materiaal te vinden met Zoeken naar boeken met Google. Verwijder dit watermerk niet.
+ *Houd u aan de wet* Wat u ook doet, houd er rekening mee dat u er zelf verantwoordelijk voor bent dat alles wat u doet legaal is. U kunt er niet van uitgaan dat wanneer een werk beschikbaar lijkt te zijn voor het publieke domein in de Verenigde Staten, het ook publiek domein is voor gebruikers in andere landen. Of er nog auteursrecht op een boek rust, verschilt per land. We kunnen u niet vertellen wat u in uw geval met een bepaald boek mag doen. Neem niet zomaar aan dat u een boek overal ter wereld op allerlei manieren kunt gebruiken, wanneer het eenmaal in Zoeken naar boeken met Google staat. De wettelijke aansprakelijkheid voor auteursrechten is behoorlijk streng.

Informatie over Zoeken naar boeken met Google

Het doel van Google is om alle informatie wereldwijd toegankelijk en bruikbaar te maken. Zoeken naar boeken met Google helpt lezers boeken uit allerlei landen te ontdekken, en helpt auteurs en uitgevers om een nieuw leespubliek te bereiken. U kunt de volledige tekst van dit boek doorzoeken op het web via `http://books.google.com`

C
Columba

C
1753

DISPUTATIO HISTORICO-THEOLOGICA

DE

COLUMBANO.

81

Theological School
IN CAMBRIDGE.

The Gift of
COL. BENJAMIN LORING.

DISPUTATIO HISTORICO-THEOLOGICA

DE

COLUMBANO.

DISPUTATIO HISTORICO-THEOLOGICA
DE
COLUMBANO,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

CORNELII PRUYS VAN DER HOEVEN,

MED. DOCT. ET PROF. ORD.

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS THEOLOGICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN THEOLOGIA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

In Academia Lugduno-Batava,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT

GUILIELMUS CHRISTIANUS KNOTTENBELT,

E PAGO MYNSHEERENLAND HOLLANDUS,

S. S. MINISTERII CANDIDATUS.

AD DIEM XVI MARTII MDCCCXXXIX, HORA I—II.

IN AUDITORIO MAJORI.

LUGDUNI BATAVORUM,
APUD H. W. HAZENBERG ET SOCIOS.
MDCCCXXXIX.

DIVINITY SCHOOL
LIBRARY.
HARVARD UNIVERSITY

EX TYPOGRAPHEO J. G. LA LAU.

PARENTIBUS

OPTIMIS CARISSIMIS

Sacrum,

PRAEFATIO.

Cum summos in Theologia honores petendi, et copiam mihi Parentum optimorum fecerat liberalitas, et ipse, haud invitis Praeceptoribus meis, ceperam consilium, experientia me docebat, quam juste multi difficultatem quererentur argumenti, quod ad disputationem publicam proponerent, inveniendi. Materiam, de qua scriberem, potissimum sumere cupiebam e temporibus, quibus Europae Septentrionalis populi ad nomen CHRISTI *profitendum perduci coeperunt; sed quae semel mihi placebat, displicebat postridie, ut alia exciperetur, alii denuo cessura. Nec multum proficiebam apud sodales, quibuscum de fortunae asperitate colloquebar; sed plus mihi solatii praebuit Cl.* VAN HENGEL, *cum mihi auctor esset, ut ad* COLUMBANI *vitam applicarem animum, quippe quam a multis viris ceteroquin doctissimis minus ab omni parte intellectam esse, ipse, in Historiam humanitatis inquirens, animadvertisset. Et hoc argumentum sperare ajebat fore, ut viribus juvenilibus accommodatum esset, neque amplitudine sua fines excederet disputationi Academicae constitutas.*

Itaque res a COLUMBANO gestas indagare aggressus sum; nec me poenituit laboris suscepti. Hunc enim virum intellexi ad humanitatem per terras Europaeas propagandam multo plus fecisse, quam vulgo putent homines. Et valde me juverunt consilia et monita Cl. VAN HENGEL, qui mihi Promotor designatus erat. Utinam mihi non obstitisset ingenii mei tenuitas, quominus praestarem, quod causae gravitas sibi postulare videtur.

Jam Academiae valedicturus, non possum, quin vobis, Praeceptores Honoratissimi, pro egregia, quam vobis debeo, institutione maximas agam gratias. Vos vero imprimis, Viri Celeberrimi CLARISSE, VAN HENGEL, KIST, quos de disciplinis Theologicis in hac Academia audivi, nominatim compellare liceat. Et hoc, dicere nequeo, quanti habeam, quod non tantum mihi vestras adire scholas, sed vestra etiam familiaritate uti contigerit. Vos omnes, Viri Clarissimi, Deus Optimus Maximus Rebus Christianis, Literis, Patriae, Academiae diu servet salvos et incolumes.

Et Vobis, Commilitones Suavissimi, quibuscum me amicitiae familiaritatem contraxisse laetor, Deus favore suo bona quaevis et praeclara largiatur. Mihi semper jucundissima erit vestri nominis memoria. Valete!

DISPUTATIO HISTORICO-THEOLOGICA

DE

COLUMBANO.

INTROITUS.

In Romano imperio, si alias terras comparamus, hominum Christianorum numerus primo tempore lente accrevit. Nomen enim Christianum profectum erat ab Judaeis, populo victo et contemto, iisque commendatum, qui gentibus omnibus humanitate longe antecellebant. Ab initio vero illud sua se tantum gravitate ad paucos propagabat, sed illi, spretis rebus humanis, ad vivendum CHRISTO et moriendum pro eo prompti et parati erant, quippe probe scientes, qualem quantumque tanquam vitae ducem profiterentur.

Quo factum est, ut se neque indoctae plebis odio, nec philosophorum risu moveri sinerent, donec tandem post tria secula publica auctoritate muniretur societas Christiana.

Apud gentes vero barbaras, quae multas Europae regiones, vel seculo quinto invadebant, vel jam antea occupaverant, longe alia se ostendit rerum facies. Hae enim celeriter et gregatim a veteri superstitione ad CHRISTUM sectandum conversae sunt. Doctrinae formulam accipiebant a Romanis, diu et virtute bellica et humanitatis cultu clarissimis, nec tamen simplicem et antiquam, sed jam valde depravatam. Neque infantile quoque ingenium meliorem doctrinam capiebat, sed satis habebat ea, quae Romani tradebant, etiamsi non intelligerentur, auctoritate eorum probare. Quare religionis commutatio haud multum in barbarorum animos vitamque effecit. Quid? quod ipsi erroribus, quos Romani iis tradiderant, novos identidem adjecerunt et rem Christianam fabulis et superstitionibus adeo obscuraverunt, ut paene incognita fieret. Verum ut omnis plane non exstincta lux est, sic CHRISTI professio suis non omnino caruit fructibus (1). Hi autem imprimis cernuntur in viris,

---

(1) Medii aevi Historia veritatem vindicat illius AMBROSII dicti: *Ecclesia videtur sicut Luna deficere, sed non deficit: obumbrari potest, deficere non potest.* HEXAEM. L. IV cap. 2.

qui labores, molestias, itinera susceperunt, ut ad gentes rudes et ab omni humanitate remotas meliorem doctrinam perducerent.

Inter viros tales ingenio et virtutibus splenduit COLUMBANUS (1), cujus res ita exponere constituimus, ut hîc appareat medio illo aevo, quod Europae tanquam noctem pareret, sanam religionis doctrinam non prorsus periisse. Prae ceteris disputandi rationibus nobis placuit ea, quae *historico-pragmatica* dicitur, ut nimirum vitae COLUMBANI lucem afferamus ex comparatione temporis, quo vir ille vixerit. Erit nostra disputatio tripartita, *de* COLUMBANO *in Hibernia*, *in Gallia* et *in Italia:* quae divisio, ut ipsa facilis est, sic argumento, quod nobis tractandum sumsimus, quam maxime convenire videtur.

Ceterum COLUMBANUS cum aliis Monachis, qui sedes patrias ad doctrinam CHRISTI propagandam reliquerunt, hoc habet commune, ut multa gestorum ejus incerta sint. Monumenta enim, unde, velut ex fontibus, notitiam eorum petamus, magna ex parte adhuc latere videntur in locis arcanis Vaticanae aliarumque Bibliothecarum: quae in vulgus exierunt, passim cor-

---

(1) De COLUMBANI meritis prae aliis conferri meretur NEANDER: *Denkwürdigkeiten aus der Geschichte des Christenthums und des Christlichen Lebens.* B. III H. 2. p. 37—69. et *Allgemeine Geschichte der Christlichen Religion und Kirche.* B. II p. 56—68.

rupta sunt (1). Hinc autem difficultates oriri, juveni imprimis in lectione Scriptorum medii aevi minus versato graves et molestas, monere non opus est.

---

(1) Dolendum est, quod *Acta Sanctorum*, quae *Bolandistarum* nomen gerunt, nondum absoluta sunt; optime enim de *Historia Ecclesiastica* meriti sunt eorum auctores tam disputationibus doctis, quas Sanctorum vitis praemittere solent, quam imprimis industria in narrationibus veterum colligendis posita. Ulterius non procedunt, quam ad diem 15 *Octobris;* neque attingunt ideo COLUMBANUM, cujus dies est 21 *Novembris.*

CAPUT PRIMUM.

DE COLUMBANO IN HIBERNIA.

Columbanus circa annum 555 post Christum in *Lagenia* (1) natus est. Genus ejus honestum fuisse ex liberali, qua usus est, institutione intelligitur; quamquam de ejus parentibus nihil traditum est, nisi quod matrem piam habuerit, cujus auspiciis puer bene feliciterque adolesceret. Haec igitur fortuna ei cum multis viris, qui ecclesiae ornamento et decori erant, communis fuit, ut a teneris inde, carissimae matris monitis et exemplo, pietatis et virtutis studio imbueretur et ad religionis Christianae legem conformaretur.

---

(1) *Lagenia*, sive *Lagenorum terra*, hodie *Leinster*, pars erat Pentarchiae, qua Hibernia ante Anglorum occupationem (1172) continebatur. Provinciarum Hiberniae maxime culta erat, quippe Angliae propior, quam ceterae.

Jonas ab initio operis sui (1) ait, columbanum etiam dictum fuisse *Columbam*; at ubique tamen, nulla hujus varietatis causa memorata, *Columbanum* scripsit, qua de re cum ceteris suis aequalibus convenit. *Columbani* nomen enim semper exstat in *Catalogis* et *Vitis Sanctorum*, in *Chronicis* aliisque Historiae monumentis. Contra vero columbanus, in Epistolis suis se ipse inducens, nusquam hoc nomine utitur, sed omnibus in locis se dicit *Columbam*. Et haud raro hujus vocabuli proprietate se delectat. Sic in titulo Epistolae ad bonifacium IV, e Vosagi deserto (*les Vosges*) Romam missae, *Palumbum* se vocat, quae *columbarum* species *agrestis* est sive *silvestris* (2). In eadem Epistola, ut etiam in Literis

(1) Jonas, Monachus *Bobbiensis*, circa annum 640 scripsit opus, cujus liber primus vitam columbani continet, alter vitam attalae et eustasii, ejus successorum, et tertius burgundofarae. Quamquam ipse columbanum non vidit oculis, multos tamen eodem in Monasterio convenire ei licuit, qui illum magistrum habuerant. Ab suis autem aequalibus eruditionis et eloquentiae causa valde laudatur, et vero oratione pro tempore, quo vivebat, satis polita usus est. Jonae librum omnes, qui columbani vitam narrabant, vel ad verbum descripserunt, vel prope secuti sunt. Legitur in *Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti* a mabillonio *editis* T. II f. 5—29, ubi sequitur alia *vita* columbani, *auctore* frodoardo, *Canonico Remensi*. f. 30—40. De jona legi potest praefatio operis laudati. f. LXV, et imprimis: *Hist. Litteraire de la France par des Religieux Benedictins de la congrégation de* s. maur. T. III p. 603—608.

(2) Columbanum tam modestiae, quam loci sui remoti, quem incolebat, causa ita scripsisse etiam probant verba, quae praecedunt. » *Agrestis urbano — Bonifacio Patri Palumbus*.''

ad Discipulos et Monachos suos, se cum JONA, vate divino, comparat, ad nominis similitudinem provocans: nam JONAE nomen Hebraeum *columbam* significat (1).

Hujus varietatis causa nobis in usu quaerenda videtur, quo olim nomina vernacula Monachorum in Monasteriis vel in sermonem Latinum verterentur, vel plane mutarentur. Sed hujus viri nomen ubique eandem mutationem subiisse minus probabile est, quod inter Monachos Hiberniae, Galliae et Italiae degit (2). Fieri etiam potuit, ut post ejus mortem nomen *Columbae* in *Columbanum* mutaretur, quo facilius distinguerent illum a COLUMBA, Abbate *Hyensi* (3), qui, etiam ex Hibernia oriundus, ei fere aequalis fuit. Quae tamen cautio, ne duo hi viri confunderentur, si re-

---

(1) In Epistola ad GREGORIUM I legitur *Bargoma*, quod in *Barjona* mutandum esse videtur. — COLUMBANI opera exstant in *Maxima Bibliotheca Veterum Patrum Lugdunensi*, T. XII, f. 1—37, quam editionem ubique secutus sum, quia GALLANDI Bibliothecam auctiorem et emendatiorem, neque in Bibliothecis publicis, neque in privatis invenire potueram.

(2) Nihil incertius est, quam nominum, quae in monumentis Historiae medii aevi memorantur, Orthographia. Haud raro enim literae non solum apud varios auctores, sed etiam in libris Mss. ejusdem operis inter se differunt.

(3) COLUMBA, qui CHRISTI doctrinam inter Pictos ceterosque Scotiae Septentrionalis incolas propagavit, nobile condidit monasterium *Hyense*, in quo anno 565 diem supremum obiit. Insula *Hy*, sive *Y-Colmkill*, hodie *Jona*, ad Hebrides pertinet, ibique ruinae monasterii et sepulcra COLUMBAE multorumque Scotiae regum adhuc supersunt: quam ob rem multi peregrinatores visendi causa hanc insulam petunt.

vera adhibita est, non impedivit, quominus aetatis et dignitatis similitudine nonnulli Historiae Ecclesiasticae scriptores in errorem inducerentur. Nos ubique *Columbanum* scribemus, quippe quod nomen est post ejus mortem in Ecclesia et in Historia tritum.

COLUMBANUS igitur ad juventutem accedens ingenuas artes edoctus est, quarum institutione liberale religionis Christianae studium praeparari debet. Fecundo ingenio praeditus Grammaticae, Rhetoricae, Geometricae et Literarum Sacrarum interpretationi operam dedit. Florebant enim tunc pro temporis ratione humanitatis doctrinae in Hibernia, ibique prae ceteris Europae regionibus juvenes occasionem eruditionis sibi comparandae nanciscebantur.

Hanc insulam ad ultimos Europae fines positam non attingebant decursiones, quibus in aliis regionibus omnia humanitatis vestigia crebro delebantur. Sic quidem, dum in vicina Britannia Saxones (anno 449) CHRISTI sectatores ad loca remotiora confugere cogebant, in Hibernia doctrina Christiana, anno 430 a PATRICIO allata (1), longe lateque propagabatur. Incolarum praeterea indoles mitioris religionis magis capax fuisse videtur, quam gentium Germanarum ani-

(1) Jam ante PATRICIUM aliquam CHRISTI notitiam in Hiberniam pervenisse valde probabile est: quia tamen hac de re nihil certi tradit Historia, PATRICIUS vulgo Ecclesiae Hiberniae conditor habetur, de qua haud dubie indefesso suo labore optime meruit.

mus ferox et bellicosus (1). Non tantum enim ad Sacra Christiana transibant, sed etiam mores ad ea conformare studebant. Et hoc nomine imprimis laude digni fuerunt, quod inde ab initio diligenter in Sacros utriusque Codicis libros inquirerent, unde tanquam ex fonte puro et limpido veram religionis doctrinam haurire possent. Diligenti autem horum librorum lectione factum est, ut una cum religione Literarum studium accresceret.

Quam inclyta fama Hiberniae fuerit, ostendunt cognomina *Insulae Sanctorum*, *Domus in* CHRISTO *viventium*, quibus ejus aetatis scriptores hanc regionem indicare solent: ostendit imprimis peregrinorum copia, qui, inde a seculo sexto usque ad CAROLI *Magni* aetatem, in hanc insulam ad Literarum Sacrarum studia, et ad vitae continentioris exercitationem convenerunt. Ita BEDA de AGILBERTO et AEDILVINO, postea in Gallia episcopis, narrat, eos *legendarum gratia scripturarum in Hibernia non parvo tempore demoratos esse* (2). Apud GUILIELMUM *Malmesburiensem* legimus ALTFRIDUM,

---

(1) De incolarum Hiberniae origine inquirere hujus loci non est. Omnes de eo inter se conveniunt, quod eorum indoles a populis Germanis plane diversa sit. *Hanc* (Hiberniam), inquit JONAS, *Scottorum gens incolit, gens quamquam absque reliquarum gentium legibus, tamen in Christiani vigoris dogmate florens, omnium vicinarum gentium fide praepollet.* Cf. *Vita Columbani*. Cap. 6. apud MABILLONIUM l. l. f. 7.

(2) Cf. BEDA, *Hist. Eccl.* L. III. C. 7 et 27.

Nordanhumbrorum regem, Hiberniam petivisse, *ibique magno otio literis imbutum, omni philosophia composuisse animum* (1). Willibrordus, postea Episcopus Ultrajectinus, juventutis etiam tempore in Hibernia erat, *ibique*, inquit alcuinus, *duodecim annos inter eximios simul piae religionis et sacrae lectionis magistros, futurus multorum populorum praedicator, erudiebatur.* (2).

Hujus doctrinae sedes inter Monachos erat, ut, qui ejus studio ducebantur, adire deberent Monasteria. Alii igitur vitae, quae dicitur, regulari se tradebant; alii, per cellas magistrorum circumeuntes, Monachorum discipuli, quam sodales esse malebant; cuncti in Coenobiis libenter accipiebantur, ubi victu et libris gratis uti poterant. Haec igitur via ineunda etiam columbano erat, studia, quae domi inceperat, persecuturo. Et hujus quidem viae ingrediendae ansam ei dedit illud, quod multis aliis perniciosum esse solet. Quum enim ad ingenii fervorem accederet corporis elegantia, verebatur juvenis, ne arduum ei foret cupiditates coercere. Postquam igitur feminam piam

(1) Cf. Liber ejus *de gestis regum Anglorum*, L. I.

(2) Qui plura exempla cupit, adire potest usserius in Praefatione *Syllogae Vet. Epist. Hibern.* Dubl. 1632. De universo hoc argumento legi merentur ea, quae scripsit doctissimus münter sub titulo: *die altbritische Kirche* in *Theologische Studien und Kritiken.* 1833. B. I. pag. 54—84. et B. II. pag. 744—766.

Deoque dicatam adierat, ea instigante, consilium cepit solum natale deserendi vitamque Monachicam petendi, ut corruptelarum illecebris, quibus hominum consuetudo obnoxium eum faciebat (1), facilius resisteret, et, ad colendum Deum unice intentus, ex Literarum Sacrarum lectione ac bonorum familiaritate quotidie novas sibi quaereret vires sectandae pietatis et virtutis. Jam filium carissimum a se mater dimittere noluit; at COLUMBANUS, *nonne*, inquit, *audisti, »qui amat patrem aut matrem plus quam Me, non est Me dignus?"* His aliisque verbis mulieris animus flectitur. COLUMBANUS igitur in aliam Hiberniae partem se confert, ubi ad SILENEM venit, virum venerabilem multorumque juvenum praeceptorem, tam pietate plane singulari, quam eximia Literarum Sacrarum scientia pollentem. Quamdiu apud hunc praeclarum Abbatem manserit, non memoratur: videtur tamen annorum seriem ibi degisse, et ex ejus institutione fructus uberrimos percepisse. Hic COLUMBANUS scripsit *Commentarium in Psalmos, multaque alia*, ut ait JONAS, *quae ad cantum sunt digna, vel ad docendum utilia, condidit dicta.*

Scripta illa non amplius exstant (2), nisi forte non-

---

(1) ***Coepit contra eum tandem antiquus hostis letifera tela laxare: ut quem tanto ingenio crescere cerneret, suis eum laqueis valuisset irretire.* Vita COLUMB. C. 8.**

(2) **J. TRITHEMIUS (1516) Commentarium in Psalmos adhuc vidit, ut in opere *de Viris illustribus ordinis Sancti Benedicti,***

nulla carmina, quae inter ejus opera edita sunt, ut e. g. *Monosticha*, huc referri debent. Quod haud incredibile est, quoniam illis multos versus Poëtarum veterum Christianorum eosdemque integros inseruit, imprimis usus OCTAVIANI operibus. Notum enim est hoc sapere exercitationem inter juvenes in Monasteriis tritam ac vulgarem.

Studiis Literarum Sacrarum, duce SILENE, peractis, COLUMBANUS Monasterium *Banchorense* petiit, quod in Ultonia, Hiberniae provincia, situm erat (1). Nam eum ad coenobium Walliae, quod etiam *Banchorense* dicitur, profectum non esse, vel inde intelligitur, quod postea demum navi in Britanniam vectus est.

COMMOGELLUS hoc regebat Monasterium, quod nobile erat Monachorum doctrina et pietate atque, ob regula-

---

L. II. C. 23. scripsit. Haec verba ejus sunt: *Sanctus* COLUMBANUS — *cum adhuc in Hibernia degeret, in monasterio, tantum in Scripturis studendo confecit, ut non contemnenda opuscula ediderit, e quibus exstat* OPUS *insigne limato sermone* IN TOTUM PSALTERIUM. Cf. *Histoire Litteraire de la France* l. c. p. 521.

(1) Monasterium *Banchorense* circa annum 555 a COMMOGELLO, qui etiam dicitur *Comgellus* sive *Comgallus*, constructum est eo in loco, ubi comitatus *Dunensis* nunc cernitur; haud procul a mari ad dexterum latus sinus Knochfergli, unde brevissimus trajectus in Gallovidiam (Galloway), Scotiae provinciam, est. Cf. Prologus *vitae* S. COMGALLI in *Actis S. S.* m. Maji T. II. f. 580 sqq., *vita* S. PATRICII l. c. m. Martii T. II. f. 561, et SPANHEIM *Hist. Chr.* Sec. VI. Cap. 13. § 2.

rem, quae dicitur, disciplinam, ibi conspicuam, ab omnibus laudabatur. Hîc COLUMBANUS vitae Monachicae initiatus et ipse assuefactus est iis, quae postea docuit alios. Nam ad exemplum, ab hoc Monasterio petitum, suam condidit regulam, de qua capite sequenti nobis disputandum erit (1).

Magnam vim et efficacitatem in adolescentis animum habebant Abbatis probata pietas, Monachorum, quibus nihil sanctius et antiquius erat quam obedire, quotidiana consuetudo et severa disciplinae, in Monasterio vigentis, natura et indoles. Precationi et lectioni vacans ad eam animi constantiam perveniebat, quam Reges et Principes populorum nec minis nec pollicitationibus ei adimere valerent: ad eam fortitudinem, ut nulla pericula, nullos labores ad CHRISTI causam promovendam susceptos pertimesceret. Vigiliis jeju-

---

(1) COMMOGELLI, qui cognomine *Faustus* appellabatur, institutionem semper COLUMBANUS magni faciebat. Ad hujus magistri verba ita provocat in *Instr.* II: *de aedificatione animarum nostrarum sermocinantes, non primum nostrae parvitatis fundamenta jacere praesumimus, alicujus majoris Doctoris authoritatem quaerentes, Sancti scilicet* FAUSTI *luculentissimam elegantissimamque doctrinam, de cujus dictis pauca ad initiandum opus nostrum satis convenienter elegimus, utpote qui de eisdem monitionibus, de quibus dicere cupimus, et nos, viles licet, commissos sibi docuit, et quasi tempore, et merito, et scientia me prior, quasi pro me impugnaturus ignaros quosque et ignaros, prius loquatur.* *Bibl. Max.* l. c. f. 10. G.

niisque corpus ita exercebat, ut in posterum nullus locus ei asper, nulla res ardua esset.

Aliquot annis apud COMMOGELLUM peractis, cepit COLUMBANUM peregrinandi cupiditas, ut nempe CHRISTO in aliis regionibus inserviret; *memor illius*, ut ait, *Domini verbi ad* ABRAHAMUM: »*exi de terra tua et de cognatione tua et de domo patris tui, et vade in terram, quam tibi monstravero.*" Pium hoc animi studium postea discipulis suis sic declaravit: *Mei voti fuit gentes visitare, et Euangelium iis a nobis praedicari* (1).

Quanto ardore *Scoti* ad ecclesiam Christianam transierint, nullo argumento evidentius probatur, quam innumeris peregrinationibus ad eam amplificandam et ornandam ab iis susceptis (2). A seculo inde quinto

---

(1) Epist. III. *ad Monachos suos. Bibl. Max.* l. c. f. 27. D.

(2) WALAFRIDUS STRABO, *Abbas Augiensis*, qui sub LUDOVICO *Pio* scripsit, de *Scotis* dicit: *quibus consuetudo peregrinandi jam paene in naturam conversa est.* Cf. Liber *de miraculis* s. GALLI Cap. 47, in *Act. S. S. Ord. S. Ben.* T. II. f. 267. Monachorum *Banchoriensium* industriam et diligentiam, hac in re conspicuam, laudant scriptores veteres. In vita s. PATRICII de hac monasterio dicitur: *Locus ille sanctus, sanctorum foecundus, quasi vitis fructificans odoris suavitatem, extendit palmites suas usque ad mare, et ultra mare sui propagines: quia Hiberniam, Scotiam, insulasque multas Monasteriis Monachisque perfectis repleverunt genimina ejus, et etiam transmarinas regiones.*" Continuo provocat auctor ad exemplum LUANI et COLUMBANI hujus Monasterii alumnorum. Cf. *Acta S. S.* m. Martii, T. II. f. 561.

usque ad decimum frequentes se in Germaniam Galliamque conferebant, ut gentibus superstitioni deditis doctrinam CHRISTI nunciarent, vel voce et exemplo Clericos ad pietatis studium incitarent. Plerique autem Monachi sponte et ultro hunc laborem difficultatibus et periculis plenum suscipiebant; nonnulli vero ab ordinis sui rectoribus emittebantur, quo peccata sua expiarent.

Tantopere se in omnium bonorum amicitiam et gratiam insinuabant hi viri, ut Abbates aliarum regionum libenter eos in suis Monasteriis exciperent, neque adeo Abbatissae dubitarent, quin eos admitterent iisque cellas darent sibi necessarias. Scotorum in usum multa exstructa sunt Coenobia, uti *Coloniae Agrippinae*, *Ratisbonae*, *Erfurti*, *Herbipoli*, *Norinbergae*, *Vindobonae*, *Pragae* aliisque locis, quae illi ad recentiora tempora incolebant. Condita sunt etiam Hospitia, quae Scotis (1) ad fidem Christianam propagandam proficiscentibus vel Romam petentibus pa-

(1) Olim nomine *Scotiae* et *Hiberniae* eandem insulam, quam nos *Ierland* dicimus, significabant: incolae ubique *Scoti* nominabantur. Hodiernam *Scotiam* usquam apud veteres ita nuncupatam esse non credo. Cf. USSERIUS *in praef. ad Syllogam vet. epist. Hibern.* s. c.

De Scotorum itineribus legi debet *commentarius praevius ad vitam* MARIANI *in Actis S. S.* m. Febr. T. II f. 361 sqq. et ea, quae scripsit Cl. H. C. M. RETTIG *in Prolegg. ad edit. Codicis Sangallensis quatuor Evangeliorum* § 106 sqq. Turici 1836.

terent. Dicebantur *Diversoria*, *Xenodochia*, sive *Hospitalia*.

Haec itinera variis Europae regionibus saluberrima fuisse Historia docet. Ex Hibernia super multas gentes Euangelii lux exorta est. Hinc enim illa primum Scotiae, nunc ita dictae, allata est, insulisque etiam, quae ad Septentrionem vel Occidentem huic regioni adjacent: quin, si traditioni fides est, hinc ad ultimam Thulen (Usland) CHRISTI notitia pervenit (1). Quid Scoti in Helvetia egerint, ut Suevos et Alemannos barbaros a superstitione ad verum Deum converterent, docebimus infra.

Et si opera, quam Anglo-Saxones postea religionis Christianae propagationi navarunt, Scotorum exemplo et institutioni maxime debetur, ut ipsum WILLIBRORDI probat exemplum, magna profecto eorum merita erga hujus patriae nostrae regiones et Germaniam late patentem fuerunt.

Nec minus utilitati populis, jam ad Sacra Christiana transgressis, Scotorum exstitit adventus. Monasteria ab iis condita scholae erant, in quibus regionum incolae ad pietatem et morum honestatem informabantur, et unde Abbates et Episcopi veri recti que amore clarissimi exibant. Doctos enim Scotos prae ceteris exteras regiones petiisse docent verba ERICI, ad CAROLUM *Calvum* scribentis: *Quid Hiberniam memorem, con-*

---

(1) Cf. MÜNTER l. c. B. II. p. 760 sqq.

tempto Pelagi discrimine, paene totam cum grege philosophorum ad litora nostra migrantem? quorum quisque peritior est, ultro sibi indicit exilium (1).

Aequales haec beneficia non ignorasse abunde probat religio, quam horum virorum memoria, vel in regionibus, quae laboris eorum fructus perceperant, vel per universam ecclesiam, colenda ostenderunt (2).

Sed e deverticulo redeamus in viam. Consilio COLUMBANI audito, COMMOGELLUS, quamquam talis tantique discipuli absentiam se aegre laturum esse intelligebat, noluit tamen pio ejus proposito obstare, immo ei statim omnia necessaria, et larga quidem manu, praebuit. Dedit quoque COLUMBANO duodecim Monachos, itineris comites, quorum eruditionem et Dei colendi ardorem perspecta habebat. Cum his viris COLUMBANUS, annum aetatis *trigesimum* agens (3), per Britanniam Galliam petiit.

---

(1) Cf. *Acta S. S. Ord.* s. BEN. T. VII. f. 326.

(2) Dolendum est, quod, superstitiosa Sanctorum veneratione a Reformatoribus abrogata, omnis horum virorum notitia inter vulgus Protestantium interiit. Eorum enim historia fervidi amoris erga Deum Christumque atque inconcussae fidei, egregia praebet exempla, ut, si bene exponeretur, ad institutionem populi foret utilissima.

(3) Legitur in nonnullis codicibus MSS. vitae COLUMBANI *vicesimum*, quod tamen rejiciendum videtur. Dicit enim JONAS COLUMBANUM *peractis infantiae annis literis operam dare coepisse, laboremque per omne pueritiae vel adolescentiae tempus exercuisse, usque ad virilem aetatem.* Tunc ad SILENEM profectus est, apud quem multos

CAPUT SECUNDUM.

DE COLUMBANO IN GALLIA.

Quo anno COLUMBANUS in Galliam venerit, difficillima est quaestio, ad quam ita respondere, ut nullum plane desiderium relinquatur, non possumus. Temporis nimirum notationes, vel plane nobis desunt, vel nullius fere sunt usus, quum primis medii aevi seculis tam fluxa atque incerta omnium populorum conditio fuerit, tam manca et imperfecta rerum vel paullo remotiorum cognitio, ut optimis harum aetatum scri-

---

libros scripsit; postea abiit ad COMMOGELLUM in monasterium *Banchorense*, et *annorum multorum*, sunt iterum JONAE verba, *circulis ibi peractis peregrinationem desideravit.* Hinc facile intelligitur, eum tempore itineris plures quam viginti annos natum fuisse. Cf. *Vita* S. COLUMB. l. c. C. 8 et 9, et quae ibi annotavit MABILLONIUS.

ptoribus haud raro omnis fides deneganda sit. Quod, si valeat de universa horum temporum Historia, praesertim de rebus in Gallia gestis valere, facile is intelliget, qui accurate perspexerit, quae hac in regione post mortem CLOVIS usque ad imperium CLOTARII II. (511-613) evenerunt. Regno enim in tres partes diviso, reguli perpetuum bellum inter se gerebant, cujus fortuna varia perpetuas mutationes in provinciis, cuique illorum subjectis, efficiebat. Caede eorum, quibus imperium haereditatis jure destinatum erat, successio legitima identidem turbata est (1). Qui thronum occupaverant saepe, ut ex una eademque stirpe prognati, nomina vel paria vel similia certe habebant. En tot jam tantasque causas, cur memoria horum temporum confusa sit, ut ad varias computandi rationes, quibus Chronographi, aera Dionysiana nondum recepta, utebantur, provocare nihil attineat. Missis igitur iis, quae rerum scriptores notarunt, in ipsius COLUMBANI vita certiorem quaerere conemur rationem temporis, quo ille in Galliam venerit, definiendi.

---

(1) HALLAM, doctus historiae medii aevi investigator, recte de turbatis illis temporibus animadvertit: *It is a weary and unprofitable task to follow these changes in detail, through scenes of tumult and bloodshed, in which the eye meets with no sunshine, nor can rest upon any interesting spot. View of the state of Europe during the middle ages*, by H. HALLAM, V. I. p. 6. London 1819. Cf. *The Hist. of the decl. and fall of the Roman Empire*, by E. GIBBON, V. III. p. 605. London 1787.

Incipimus a diebus illis, quibus, BRUNECHILDIS instigatione, THEODORICUS COLUMBANUM, ut infra videbimus, Luxovio expulit. Abbatem nempe tunc CLOTARIO praedixisse eum post tres annos regnum THEODORICI occupaturum esse una scriptorum veterum vox est. Verum hoc, an falsum sit, inquirere non est hujus loci; sed jure nostro sumere possumus, JONAM aliosque vaticinationem non memoraturos fuisse, nisi revera tertio anno post ejectum COLUMBANUM THEODORICI regnum ad CLOTARIUM transiisset. Quum igitur notum sit CLOTARIUM II anno 613 totam Galliam sibi subjecisse, sequitur COLUMBANUM anno 610 Luxovium reliquisse. Atqui hoc, JONAS ait, vicesimo factum esse anno postquam Luxovium condidisset. Inde vero apparet Monasterium illud conditum esse circa annum 590. Jam, si omnia recensemus, quae ille antea gessisse traditur, nihil nobis probabilius videtur, quam sententia MABILLONII eum anno 585 in Galliam appulisse (1).

Ea tempestate conditio Ecclesiae in Gallia miserrima

---

(1) MABILLONIUS suam sententiam ex clausula *Expositionis* AUGUSTINI *in Epistolam* JOHANNIS a quodam Monacho Bobiensi manu scriptae deducit. Cf. *Acta S. S. Ordin. S.* BEN. T. III. p. 2. *in vita S.* WALDEBERTI et *de re diplomatica*, L. V. USSERIUS et VALESIUS, hoc anno 588 factum putantes, non multum ab eo discrepant. Opinio COINTII, qui COLUMBANI adventum in annum 578 confert, quamquam a multis recepta, omni tamen caret probabilitate. Cf. PAGI *Crit. in Ann.* BARON. ad annum 585 num. VI et VII.

erat (1). Nimirum CLOVIS seculo superiore ad finem vergente, quo majorem sibi hac in regione ditionem comparabat, eo clarius pro ingenii sui acumine videbat Arianismum, quem Gothi et Burgundiones importassent, plerisque Gallorum esse et manere odiosum. Inde igitur a prima hujus terrae occupatione ecclesiae Catholicae, ad quam post victoriam Tolbiacensem (anno 496) ipse transibat, locupletem se patronum praestitit, erga clericos imprimis liberalem. Quo factum est, ut brevi per totam Galliam multos fautores et adjutores sibi pararet: quorum studiis hoc magna ex parte debuit, ut conatus ejus prosperum haberent eventum.

Hac rerum mutatione incredibilem in modum auctoritas Clericorum crescebat. Multis illi terris donabantur, aliarum possessionem sibi arrogabant, ad quam rapinam bella intestina post CLOVIS mortem iis valde opportuna erant (2). Opibus et divitiis suis in trans-

---

(1) *Ad Galliam, ubi tunc, vel ob frequentiam hostium externorum, vel ob negligentiam Praesulum religionis virtus paene abolita habebatur, tendunt. Vita S.* COLUMB. Cap. 11. l. c. f. 10.

(2) CHILPERICUS, Neustriae rex, *ajebat plerumque: ecce pauper remansit fiscus noster, ecce divitiae nostrae ad ecclesias sunt translatae: nulli penitus, nisi soli episcopi regnant: periit honor noster, et translatus est ad episcopos civitatum.* GREG. *Tur. Hist. Franc.* L. VI. C. 46. apud M. BOUQUET, *Rerum Gallicarum et Francicarum scriptores*, T. II. f. 291.

versum acti, cupiditatibus, non Deo serviebant. Seculo sexto paucissimae tantum ibi habitae sunt Synodi, et universae curae, quae dicitur, pastoralis neglectio gravissimis locum dedit queremoniis (1). Ecce vero ut hominibus barbarie infectis placeat iisque imperet, ipsa Ecclesia fit barbara. Episcoporum *Rhemensium* et *Turonensium* auctoritas apud reges in dies augetur, qui tamen, neque eruditione, neque humanitate cum Episcopis Galliae Meridionalis certare possunt. Clericorum inferioris ordinis muneribus haud raro servi funguntur, qui, quamquam nunc ad libertatem redacti, servorum tamen retinent vitia. Franci ad sedes Episcopales vocati armis potius quam precibus vacant (2); multo magis, quoties contra Conciliorum decreta ex Laicis statim Episcopi fiunt: de quo abusu, uti etiam de Simonia, GREGORIUS *Magnus* in omnibus suis Literis, ad

(1) COLUMBANUS in epistola *ad Patres Synodi cujusdam Gallicanae super quaestione Paschatis congregatae* scribit: *Utinam saepius hoc ageretis: et licet juxta Canones semel aut bis in anno, pro tumultuosis hujus aevi dissentionibus, semper sic servare vos non vacat, vel quam celerrime, quamvis rarius, potissimum hoc debuit vobis inesse studium, quo negligentes quique timorem haberent, et studiosi ad majorem provocarentur profectum. Bibl. Max.* T. XII. f. 25. A.

(2) SALONIUS et SAGITTARIUS Episcopi pugnae contra Longobardos anno 572 interfuerunt, *qui non cruce coelesti muniti, sed galea aut lorica saeculari armati, multos manibus propriis, quod pejus est, interfecisse referuntur.* GREGOR. *Tur.* L. IV. C. 43. apud BOUQ. l. c. f. 225. A.

Principes Galliae missis, queritur (1). Apud Monachos passim quidem nonnulla pristinae pietatis restant vestigia. Attamen Monasteria, nondum unius ordinis regula inter se juncta, grassanti barbariei se opponere non valent. Tacet Historia de scholis *Lerinensi*, *Massiliensi* aliisque, quarum nomina seculo quinto inclaruerunt.

Una cum verae religionis doctrina interibat omnis vitae morumque integritas. Nulla fides publica nec privata, libidinum ubique ferocia. Inde bella, vexationes, caedes, venena, divortia, adulteria. Duas reginas tristis sequitur gloria, eas vita sua omnium hujus aevi vitiorum posteris spectaculum praebuisse: BRUNECHILDEM volo et FREDEGONDAM, aetate aequales et dignitate, tum et corporis pulchritudine et animi pravitate. Sed de conditione Galliae jam satis dictum est; redeamus ad COLUMBANUM, qui pium consilium huic morum corruptioni obviam eundi ceperat.

Per Galliam circumiit cum Scotis suis, religionis

(1) GREGORIUM I, COLUMBANI aequalem, non sine causa de *Neophytis* questum esse, ut ex multis GREGORII *Turonensis* locis apparet, ita ostendit hujus abusus exemplum, quod narratur ab AIMONIO, Monacho *Floriacensi*, *de Gestis Francorum*, L. III. C. 86. apud BOUQ. T. III. f. 109: *Pauper*, inquit, *quo ductore saepefata usa fuerat regina* (Brunechildis), *ob hujus vicissitudinem beneficii Autissiodorensem adeptus est Episcopatum.*" Cf. GREG. M. *Opera omnia ed. Bened.* T. II. *Lib.* IX. *epist.* 106, 109 et 110. *Lib.* XI. *epist.* 63. et *Lib.* XIII. *epist.* 6.

Christianae praecepta ubique proponens, ut de iis tanquam vitae norma sequendis populo persuaderet. Nec leve tantum pondus verbis suis addebant hi viri vitae suae integritate. Virtutes enim, quas dicendo mentibus inculcare volebant, ipsi suo commendabant exemplo. Vivebant mira inter se concordia, mutuae caritatis causa quisque alterum sibi anteponentes uno eodemque studio ducebantur. Animi modestia et mansuetudine hominibus feris et incultis ostendebant, quales veri CHRISTI sectatores esse deberent, quorum non tantum in ore, sed etiam in corde nomen ejus esset. Ita omnium gratia brevi eos prosequebatur. Est enim verae pietatis commendatio singularis, quae in rudiora etiam ingenia vim suam exercet.

COLUMBANUS ad aulam CHILDEBERTI (1) veniens plausu excipiebatur, multisque modis rex ei persuadere

---

(1) JONAS ita narrat: *Venit* SIGISBERTI *ad aulam, qui eo tempore duobus regnis Austrasiorum Burgundionumque inclytus regnabat Francis.* Auctorem in errore versari inde jam apparet, quod SIGISBERTUM *Austriae* et *Burgundiae* regem fuisse dicit. Ille enim quum anno 575 diem supremum obierit, nunquam Burgundiae potitus est; sed eo in regno filius ejus CHILDEBERTUS patruo GUNTRAMNO anno 593 successit. Hujus CHILDEBERTI, qui tunc Austriae tantum praeerat, ad aulam circa annum 585, ut supra monuimus, venit COLUMBANUS. Ita etiam habent ORDERICUS VITALIS (natus 1075), *Eccles. Hist.* L. VIII. apud DUCHESNIUM *Historiae Normann. Script.* f. 716, Anonymus in vita inedita S. COLUMBANI, quem contulit MABILLONIUS, *Act. S. S. Ord. S.* BENED. T. II. f. 10 ann. a, Auctor vitae S. SALABERGAE, l. l. f. 423, et Auctor vitae S. AGILI, l. l. f. 316.

cupiebat, ut apud se maneret. Quod eo consilio fecisse videtur, ut populi sui gratiam iniret. Solebant enim reges ejus temporis virorum, sanctitatis laude nobilium, familiaritatem quaerere, ut sic vulgo superstitioso magis placerent. COLUMBANUS tamen, ut ipsius aulae pompam, sic vitam mollem et delicatam ibi paratam spernebat, spernebat munera, quibus eum donare volebat CHILDEBERTUS.

Regi tamen urgenti, ut beneficium ab illo peteret, COLUMBANUS sic respondit: *omnia, quaecunque habui, propter nomen Domini dereliqui, et si nunc aliorum divitias cupio, forsam praevaricator Euangelii existo, cujus desiderio actenus militavi; non enim convenit nobis, lucris caducae hujus vitae anhelare, sed toto mentis affectu* CHRISTI *praeceptum desiderare, in quo ait: »qui vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, et sequatur me." Quomodo nosmetipsos abnegemus, si exteriora nostra pro* CHRISTO *non laxamus, aut quomodo crucem ejus tollamus, si terrestrem curam quaerendo inhiamus?* Ad haec CHILDEBERTUS: *Si* CHRISTUM *sequendo*, inquit, *crucem ejus sumere desideras, heremi secreta elige, in quibus et augmentum tui praemii, et oportuna provideas nostrae saluti, tantum ne, nostra dicione relicta, ad alias gentes pertranseas* (1).

---

(1) Cf. *Vita S.* GALLI *ed.* ILDEPHONSO *ab* ARX apud G. H. PERTZ *Monumenta Germaniae Historica*, T. II. f. 5.

Haec verba COLUMBANO placuerunt. A Rege igitur locum petiit desertum, in quo se cum suis comitibus Deo dicare posset. Eo usque nempe Galliam peragrantes sedem sibi fixam nondum elegerant; sed patebant iis hominum piorum domus, apud quos, quidquid ad vitam necessarium erat, inveniebant. Ne beneficis tamen oneri esset, malebat COLUMBANUS, ut sibi indicaretur locus, ubi sua ipsius industria victum sibi quaereret; et, quo gravior et molestior esset labor, solum incultum postulabat. Atque sic in oculis habuit idem illud, quod medio aevo multi per Europam egerunt Monachi, quorum manibus deserta in agros fertiles mutabantur (1). Praeterea COLUMBANUS ad vitam reverti cupiebat Monachicam, cui inde a juventute assuetus deditusque fuerat. Grato igitur animo accepit vastum desertum *Vosagum* (les Vosges) (2), ei a CHILDEBERTO concessum, ut ibi vitae habitaculum collocaret.

---

(1) Cf. Cl. VAN HENGEL, *Geschiedenis der zed. en godsd. Beschaving*, D. II. p. 429 sq.

(2) *Vosagus* mons, silva sive desertum, Mosae, Mosellae Ararisque origine insignis, *Austriam* a *Burgundia* dividebat. Ejus pars major, ubi Spira et Argentoratum hodie cernitur, a CHILDEBERTO, Austrasiorum Rege possidebatur; reliqua pars circa castrum Luxovium et Anagrates GUNTRAMNI, Regis Burgundiae, erat. Inde PAGI (*Crit. ad Annales* BAR. *anno* 585 n. VII) ansam petit statuendi COLUMBANUM a GUNTRAMNO exceptum esse, non a CHILDEBERTO. Hoc tamen contra omnium scriptorum testimonium affirmare mihi minime necesse esse videtur. Nam regni fines, imprimis in locis desertis, tunc non ut hodie accurate descripti

Aula relicta, continuo in Vosagum profectus est, ibique castrum invenit semirutum, *Anagrates* dictum, in quo Monasterium ejusdem nominis condidit. Monachi vero quum hoc in loco sterili et scopuloso omnibus carerent ad vitam necessariis, JONAS Deum interdum his suis ministris interventu singulari mensam paravisse ait, multaque insuper tradit miracula, ut a COLUMBANO patrata, quae ab aliis etiam repetuntur scriptoribus. Et sane constat Monachos saepissime, ut Monasterii vel ordinis sui famam amplificarent, miracula finxisse omni fide superiora. Atque haec pia dicebatur fraus, quam sibi licere putabant, ut vulgi mentes ad sua placita flecterent. Sed haud crediderim equidem JONAM hac quidem usum esse. Nam, praeterquam quod ea hujus viri tempore tam late nondum per Ecclesiam regnavit quam postea, duo sunt, quae mihi persuadeant JONAM iis, quae conscriberet, fidem omnino habuisse: simplex narrandi ratio, et ipsa miraculorum natura et indoles. Libenter concedo credulitatem hîc cerni, qualis vix aut ne vix quidem conveniat viro doctrinae copia et judicii praestantia multis aequalium suorum anteponendo, et qui, quum paucos tantum annos post COLUMBANUM vixerit, va-

---

erant. Amice praeterea vivebant Reges Burgundiae et Austriae. Nec denique CHILDEBERTUS Luxovium COLUMBANO ipse indicaverat, sed ei tantum potestatem fecerat in Vosago loci eligendi. Cf. HALLAM l. c. p. 5 in annot. et MICHELET *Hist. de France*, T. I. p. 207.

riisque ejus amicis familiariter uteretur, occasionem habuerit veri indagandi (1). Quid vero dixeris de miraculis, quae GREGORIUS I similesque narrarunt viri, quos nemo facile negabit verum scribere voluisse? Et communis omnium hominum Christianorum medii aevi fuit sententia a piis CHRISTI ministris non tantum miracula fieri posse, sed quovis etiam tempore ad causam ejus promovendam revera fieri. Hanc sententiam risu excipere quicunque omnibus, quae ex rerum natura explicari non possunt, fidem denegent, non est sane, quod miremur: sed quodammodo miramur Protestantes ad unum fere omnes eorum exemplum secutos esse. Communiter enim his persuasum est ab incunabulis inde rerum Christianarum facta esse miracula. Deinde inter se de eo consentiunt, CHRISTUM societati sibi dicatae singulari caritate et cura semper adfuisse. Atqui si quis ita censet, minus intelligo, quomodo asseverare ausit, nulla plane medio aevo miracula facta esse. Haud infiteor multa esse ridicula Deoque indigna, quae Monachi nobis tradiderint; sed talia etiam temporibus CHRISTI et Apostolorum, ut abunde ex

(1) JONAS in *Prologo Vitae* COLUMBANI l. l. f. 5 hac de re ita scribit: *memini — me pollicitum fuisse, ut almi Patris* COLUMBANI *meo studerem stilo texere gesta; praesertim cum hi, qui eo fuerunt in tempore et penes ipsum patrata viderunt, quam plurimi penes nos superstites sint, qui nobis non audita, sed visa narrarunt, vel quae etiam nos per venerabiles viros Attalam et Eustasium didicimus.*

libris Novi Foederis Apocryphis probari potest, haud pauci tribuerunt, nec tamen commiserunt, ut fides horum temporum historica vacillaret. Acriter quidem superstitionem et imperitiam Literas Sacras interpretandi perstringere solent; sed minus de eruditione, quam de fide hîc quaestionem esse docet, praeter varia CHRISTI dicta, Apostolorum etiam exemplum. Et si ullo tempore praeclara documenta exstiterunt fidei in CHRISTO collocatae, his maxime seculis ea se conspicuam fecit. Imprimis ea, ne plures memorem, admirabilis est in COLUMBANO, qui Dei auxilio confisus, patria relicta, inter populos feros et incultos rerum divinarum causa multos per annos peregrinatur, ne Regum quidem et Principum odia timet, barbarorum minas spernit, nihil aliud gestit quam propagationem nominis Christiani, nec injurias curat sibi idcirco allatas. Et quale tandem laboris expectat praemium? nimirum in bona intuetur vitae futurae, sibi divinitus promissa (1).

(1) *Instruct.* IV. in fine: *Licet pro tempore peregrinemur a Domino, ut pro brevis temporis bello in aeternum coronemur, nimium tristes esse non debemus, scientes mox esse ad Deum nos ituros et cum eo semper mansuros: — haec ergo scientes nullis laboribus, nullis tribulationibus deficiamus, nullis moeroribus vincamur, nullis bellis fatigemur, nullis disciplinarum anxietatibus destituamur, nullis rursum deliciis dissolvamur, nullis blanditiis decipiamur, et ut Apostoli voce dicamus, nullus nos, nihil nos a* CHRISTI *charitate separet. Bibl. Max.* T. XII. f. 13. C.

Accessit, quod apud homines, inter quos versabatur COLUMBANUS, ut ad ipsam religionis doctrinam rite aestimandam valde inepti erant, ita non multum valebant argumenta ex hujus doctrinae indole petita; miracula vero, quasi argumenta adspectabilia maximum pondus habebant et momentum. Sed haec maxime disputavi, ut ostenderem omnia, quae de miraculis medio aevo patratis narrantur, non tam absurda et ridicula esse, quam multi ferant. Et Protestantibus, vereor, ne fraudem saepe fecerit invidia, quum non meminissent Monachos iis seculis rebus Christianis officia praestitisse, quibus non solum Ecclesiam Catholicam, sed alios etiam hujus rei fautores sibi obstringerent.

Jam miraculorum efficacitatis in COLUMBANUM conspicuae fama brevi per omnem Galliam exiit. Ad spem igitur sanitatis recuperandae erecti, undique aegroti catervatim ad eum coguntur, utpote putantes Luxovii omnibus morbis remedium adhiberi. Ille vero a se impetrare nequit, ut miseri mortales sine solatio mittantur, sed iis, deprecatione sua promissa, morum vitaeque emendationem commendat, qua ad CHRISTUM tanquam unicam verae salutis arcem confugere possent (1).

---

(1) *Coepit*, ait JONAS, *frequentia populi et infirmantium cohortes ob sanitatem redintegrandam ad eum frequentare, et omnium infirmitatum suffragium quaerere:*

Nec tantum homines corpore affecti ad COLUMBANUM venerunt, sed etiam quotquot animum peccatorum conscientia oppressum habebant, ejusque ductu et auspiciis poenitentiam agere cupiebant: multi praeterea, quos res humanas fluxas esse ac fragiles tristis docuerat experientia, vel quibus temporis, quo vivebant, calamitates taedium pepererant. Utrique sibi laborum requiem atque otium quaerebant in Monasterii solitudine, ut ibi Deo colendo unice intenti cum honestis Monachis reliquam aetatem placide agerent. Juvenes denique nobiles, quibus minus placebant arma vel honores in civitate, frequentes ad COLUMBANUM congregabantur, quo Literarum atque artium magistro et vitae duce uterentur. Sic Monachi numero eum in modum creverunt, ut unius aedis parietes multitudinem non amplius complecti possent. Abbas igitur locum Anagrati vicinum, *Luxovium* dictum, sibi eligebat, ut ibi aliud Monasterium conderet: postea Monachorum frequentia utrique tertium, quod *Fontanas* dicebatur, addere coactus est.

Luxovium (Luxeuil), quod in hunc usque diem superest, antequam a COLUMBANO occuparetur, superstitionis veteris cultoribus sacrum erat *Ibi*, scribit JONAS, *imaginum lapidearum densitas vicina saltus*

---

quorum vota cum revocare a se nequiret, omnium petitionibus parens, orationum medicamine cunctorum ad se venientium infirmitatibus, Divino fultus auxilio, curando subveniebat. Vita S. COLUMB. C. 14. l. 1. f. 11.

densabat, *quas cultu miserabili rituque profano vetusta paganorum tempora honorabant* (1). Talia loca ceteris ad templa vel Coenobia aedificanda praeferebant Monachi illorum temporum, ut regionum incolis placerent. Hi enim illuc congregati unius Dei audiebant doctrinam, ubi antea WODANO ceterisque Diis falsis sacrificare solebant (2). Praeterea facillime homines inculti loci sanctitate perducebantur ad dignitatem Naturae, quae ibi coleretur, sibi proponendam. Nec magna sane iis gaudere videbantur potestate, qui aras suas contra novorum Sacrorum antistites defendere nequirent.

Utrumque et *Anagratense* et *Fontanense* Monasterium *Luxoviensi* subjectum erat, et COLUMBANO, qui residebat Luxovii, primas tenente, a Praeposito gu-

---

(1) Cf. *Vita S.* COLUMB. Cap. 1. 17. 1. f. 13.

(2) Cf. NEANDER, *Allg. Gesch.* B. III. p. 28. GREGORIUS M. AUGUSTINO in Britanniam proficiscenti praeceperat, ut omnia templa Deorum deleret: postea tamen suam mutavit sententiam. Sic enim Mellito Abbati, quem ad AUGUSTINUM mittebat, scripsit: *Dicite ei, quid diu mecum de causa Anglorum cogitans tractavi, videlicet quia fana idolorum destrui in eadem gente minime debeant, sed ipsa, quae in iis sunt, idola destruantur. Aqua benedicta fiat, in iisdem fanis aspergatur, altaria construantur, reliquiae ponantur: quia si fana eadem bene constructa sunt, necesse est, ut a cultu daemonum in obsequium veri Dei debeant commutari: ut dum gens ipsa eadem fana non videt destrui, de corde errorem deponat, et Deum verum cognoscens ac adorans, ad loca, quae consuevit, familiarius concurrat.* l. c. L. XI. *epist.* 76.

bernabatur (1). Scriptores igitur trium Coenobiorum Monachos unius ejusdemque familiae, quae a Luxovio nomen accepit, socios habere solent, quam dicendi rationem omnes Monachos, quos COLUMBANUS secum in Vosago habebat, *Luxovienses* appellando secuti sumus (2).

Nunc autem, quo accuratius disciplina *Luxoviensis* cognoscatur, ex re esse videtur, ut instituta Monachica COLUMBANI breviter exponamus. Regula COLUMBANI, quae in omnibus codicibus MSS. cetera ejus opuscula praecedit, praecepta continet generalia, quae universam vivendi rationem Monachis imperatam spectant. Primam, CHRISTO auctore, caritatis legem

(1) Hinc prima *Prioratuum* origo repetenda est. Deductio nimirum coloniarum, quae principi Abbatiae subessent, peperit Prioratus. Cf. VENEMA *Hist. Eccl.* T. IV. pag. 733.

(2) *Luxovium* monachorum frequentia et disciplina clarum fuisse auctoris *vitae S.* WALARICI, *Abbatis Leuconaensis*, probant verba: *Ubi* (Luxovii) *venerandus et admodum sanctus et sanctae religionis cultor B.* COLUMBANUS, *ex Hibernia insula ortus, his quidem in locis ferme ducentorum viginti, ut fertur, monachorum Pater praeerat coenobio; in quibus nullus sibi aliquid dicebat proprium, praeter diurnos labores nocturnasque vigilias. Omnibus etiam omnia erant communia, unumque velle et unum nolle, quibus cor unum et anima una erat in Deo. Et nihil quidem mundiale secum habebant, nisi parcissimum et mediocrem cibum et humillimum simplicemque vestitum, sed tamen sibi in* CHRISTO *omnia possidebant; et his quidem deliciis atque his divitiis contenti, vitam tunc Angelicam ducebant in terris.* Cap. I. § 4. In *Act. S. S.* m. April. T. I. f. 16 sqq.

regulae suae praemittit his verbis: *Primo omnium docemur Dominum diligere ex toto corde, tota mente, totis viribus, et proximum sicut nosipsos; deinde opera.* Hoc tanquam structo fundamento, in decem capitibus Monachi praecepta strictim exponit, monens *de obedientia*, *de taciturnitate*, *de cibo et potu*, *de cupiditate calcanda*, *de vanitate calcanda*, *de castitate*, *de cursu* (precum et Psalmorum ordine canonico), *de discretione* (boni et mali), *de mortificatione* et *de perfectione Monachi.* Hoc in ultimo capite Monachis suis quasi metam proponit, in quam omni nisu tendere debeant. Quae in ceteris capitibus monet, eo inservire vult, ut ad hanc metam progressi summum sanctitatis gradum consequantur. Quum igitur ex hoc capite facile totius regulae argumentum intelligatur, operae pretium videtur ipsius Abbatis describere verba, quae sic se habent: *Monachus in monasterio vivat sub unius disciplina Patris consortioque multorum, ut ab alio discat humilitatem, ab alio patientiam: unus eum silentium, alter doceat mansuetudinem. Non faciat quod vult, comedat quod jubetur, habeat quantum acceperit, operis sui pensum persolvat, subjiciatur cui non vult. Lassus ad stratum veniat, ambulansque dormitet, necdum expleto somno surgere compellatur. Passus injuriam taceat. Praepositum Monasterii timeat ut Dominum, diligat ut Parentem: credat sibi hoc esse salutare quidquid ille praeceperit; nec de majorum sententia judicet,*

cujus officium est obedire, et implere quae jussa sunt, dicente Moyse: audi Israël et tace (1).

Hanc COLUMBANI Regulam continuo sequitur alia, quae dicitur, *Coenobialis*, sive *liber de quotidianis poenitentiis Monachorum*, quae argumento a praecedente plane est diversa eaque multo inferior. In hoc enim libro Abbas delicta contra Monasterii disciplinam tractat, atque accurate vel minutissimorum poenam constituit. Quamquam autem liber in quindecim capita divisus est, sine ullo fere ordine haec delicta recensentur, ut inter se permixta hîc omnia reperiantur, quibus Monachi vel consulto vel negligenter fratrum concordiam turbare, reverentiam majoribus debitam violare, aut sacra profanare possint. Poenarum loco habet usum panis et aquae, verberationem, Psalmorum cantum et taciturnitatem. Gravissima vero poena hîc ei imposita, *qui sacrificium perdiderit et nescit ubi sit*, in poenitentia cernitur integrum per annum agenda. Quod tamen non ita intelligendum est, ut putaverit COLUMBANUS peccata graviora a Monachis aliena esse, cujus rei contrarium nos docet ejus *Poenitentiale* (2); sed post confessio-

(1) *Bibl. Max.* T. XII. f. 5.

(2) Praeter *librum de quotidianis poenitentiis Monachorum* tractatus superest *de modo seu mensura Poenitentiarum*, in quo COLUMBANUS Conciliorum decretis et Patrum, qui dicuntur, dictis usus *canones Poenitentiales* collegit. Hîc igitur cuique peccato, ratione habita conditionis ejus, qui

nem punire, quidquid Monachi contra religionis Christianae praecepta committebant, sacerdotes debebant, quibus secundum Ecclesiae instituta mandata erat animorum cura, in Monasteriis etiam gerenda (1).

Caput decimum tertium, ex quo totius Libri ratio et oratio cognosci potest, hîc sequitur: *Si quis ante horam nonam, quarta sextaque feria manducat, nisi infirmus, duos dies in pane et aqua. Si quis dixerit mendacium nesciens, quinquaginta verbera: si sciens et audax dicit, duo dies in pane et aqua. Si denegatur mendacium ejus, et ille contendit, septem dies in pane et aqua. Si quis Monachus dormierit in una domo cum muliere, duos dies in pane et aqua: si nescivit, quod non debet, unum diem* (2). *Si quis*

---

peccaverit, peculiarem poenam constituit. In prima parte hujus tractatus verae poenitentiae naturam generatim exponit, in altera ab initio poenas Monachorum et Clericorum, deinde Laicorum, qui deliquerint, accurate definit, minutos denique tangit Monachorum errores. Hic tractatus multifariam convenit cum libro CUMEANI, Abbatis *Scoto-Hiberni*, de *Poenitentiarum mensura*, neque ad historiam vel indolem COLUMBANI cognoscendam insigniter juvat. Legitur in *Bibl. Max.* l. c. f. 21 sqq.

(1) Presbyteri vel in Monasteria mittebantur ab Episcopis (*Directi*, *Deputati*), vel in Monasterio ab Abbate, annuente Episcopo, ordinabantur. Eorum numerus major tamen non erat, quam requirebatur, ut sacra solemnia rite celebrarentur et animorum cura juxta Ecclesiae canones gereretur. Cf. GIESELER, *Kircheng.* B. I. p. 688. Bonn. 1831.

(2) MICHELET de libro *De quotidianis poenitentiis Monachorum* ita scribit: *Dans cet étrange code pénal, bien des choses*

non claudit ecclesiam, duodecim Psalmos. Si quis emittit sputum, et attingit altare, viginti quatuor Psalmos; si pariëtem attingit, sex. Si obliviscitur psallendi seu lectionis, tres Psalmos.

Sic, nullo ordine observato, delicta a COLUMBANO memorantur, et insunt iis multa talia, ut hominis cujusque paullo liberalioris risum moveant. Sed quantum inter veterum illorum et recentiorum temporum mores interest! Quanti in humanitate progressus facti sunt! Reputemus igitur potius, quibusnam difficultatibus COLUMBANUM laborasse necesse sit, qui tam

---

scandalisent le lecteur moderne. »Un an de pénitence pour le moine qui a perdu une hostie; pour le moine qui a failli avec une femme, deux jours au pain et à l'eau, un jour seulement s'il ignorait que ce fût une faute.'' En général, la tendance est mystique, le législateur a plus égard aux pensées qu'aux actes. Cf. MICHELET, *Histoire de France*, T. I. p. 269 sq. Paris 1835. Quamquam libenter confiteor COLUMBANI indolem ad mysticismum propensam fuisse, vereor tamen, ut hujus rei vestigia in libro de *quotidianis poenitentiis* inveniri possint. In quo e contrario multa leguntur, quae COLUMBANUM res minutas et externas nimis curasse saepe testantur. Porro vehementer dubito, an vir doctus Abbatis verba *si quis Monachus dormierit in una domo cum muliere*, bene vertat scribendo: *pour le moine qui a failli avec une femme.* Haec verba enim, ut vulgo, nisi fallor, intelliguntur, gravius crimen indicant, de quo COLUMBANUS in Poenitentiali agit, qui illi poenam multo graviorem constituit his verbis: *si quis fornicaverit semel tantum, tribus annis Monachus poeniteat, si saepius, septem annis. Bibl. Max.* l. c. f. 21 H.

ingenti Monachorum multitudini praeesset. Equidem de eorum ardore et amore erga virum venerabilem detrahere nolo; sed erant tamen homines omnium rerum rudes, qui antea certam non habuerant vitae normam et rationem. Studiorum morumque, quibus hujusmodi viri dediti erant, diversitatem tollere, eosque unius regulae disciplina componere, ut placide in una domo degentes, uno corde atque animo Deum colerent, non leve profecto erat opus.

Congregatio talis, ut omnia via et ratione procederent, legibus indigebat, quas Abbas pro lubitu ferre non posset, sed pro varia hominum indole constituere deberet. Columbanus eo intentus intellexerat, praecepta, quae in ipsa regula dedisset, quamquam discipulis provectioribus ad officia sua perspicienda sufficerent, omnibus tamen apta non esse. Scripsit igitur librum *de quotidianis poenitentiis*, ut rudiores a vitiis, quae natura vel consuetudine iis propria erant, deterreret, eosque hoc modo vitae regularis severitate assuefaceret. Et hanc ob causam vitia inter barbaros vulgaria, quorum commemoratio nostris temporibus ridicula foret, prae ceteris reprehendere cogebatur.

Imprimis columbanus urget obedientiae praeceptum, neque ei plane satisfacere ostendit, qui seniorum admonitionibus pareant, nisi id faciant laeti neque contradicentes. Obedientia porro, quam Monachis inculcat, non tantum spectat jussa, sed etiam consilia iis data. Consulere jubet Abbatem, consulere

seniores de omni re, *ut scilicet*, ait, *homo semper de ore pendeat alterius*. Obedientiam Monacho non sufficere monet, sed voluntatis vires frangendas esse: sic demum ad veram humilitatem pervenire posse, dum quis JESU exemplum sequatur dicentis: *non sicut ego volo, sed sicut tu vis;* et alibi: *Descendi de coelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui me misit, Patris* (1).

Haec autem verba CHRISTI, cum a COLUMBANO non citata sint, ut iis obedientiam legi divinae praestandam esse doceret, sed tantum, ut Monachi iis uterentur ad respondendum senioribus, si quid ab iis juberetur; quisque sua sponte hanc regulam severiorem esse videbit. Indignum enim est, ut homo, a Deo ratione praeditus, alterius arbitrio serviat, quo tantum abest, ut ad altiora ducatur, ut animi vires torpescant. Nam, omni voluntatis imperio fracto, non habet sane, quo ceteris animalibus praestet (2).

---

(1) Quae CHRISTUS de Deo dicit, COLUMBANUS, voce *Patris* abusus, ad Abbatem refert. Sic etiam BENEDICTUS Monachos suos jubet mandatis Abbatis, tanquam divinis, obedire: *Primus*, inquit, *humilitatis gradus est obedientia sine mora. Haec convenit iis, qui nihil sibi a* CHRISTO *carius aliquid existimant, propter servitium sanctum, quod professi sunt, seu propter metum gehennae, vel gloriam vitae aeternae, mox ut aliquid imperatum a majore fuerit, ac si divinitus imperetur, moram pati nesciunt in faciundo. Regulae* cap. 5 in *Bibl. Max.* T. IX. f. 642.

(2) Cf. NEANDER, *Denkwürdigkeiten*, B. III. H. 2. p. 46 sqq.

Attamen hanc severitatem in COLUMBANO, aliisque Monachorum primoribus iniquius saepe ab iis reprehensam esse credo, qui, ad recentiora tempora attendentes, Monachorum animum humilem atque abjectum factum esse animadverterent. Conditione enim civitatis mutata, Monachos ejusmodi legibus duris adstringere, vel non amplius opus erat, vel omnino perniciosum. Primum enim non amplius vigebat ardor ille, qui medio aevo potius temperandus erat, quam incitandus. Desiderabatur in Abbatibus pia erga Monachos caritas, qua olim patrum instar ab iis dilecti erant (1). Frustra quaerebatur suavitas illa doctrinarum, quae discipulorum animos, obediendi necessitate fatigatos, bonarum artium salibus recreaverat et veneribus. Docet denique Historia Monachos illo tempore, quo COLUMBANUS suam regulam scripsit, in Monasteriis,

(1) Quanta caritate COLUMBANUS Monachos suos complexus sit, verba, a quibus Epistola ejus *ad discipulos* incipit, nos docere possunt. Ita scripsit: *Pax vobis, sicut Dominus optans dixit discipulis suis, sit e salus, et sempiterna charitas. Haec tria tribuat vobis Trinitas cum eo, et inter vos custodiat cum voto meo. Studii mei magnitudinem erga salutis vestrae intuitum solus novit, qui dedit, et desiderium meum erga doctrinae vestrae profectum. Bibl. Max.* l. c. f. 26. G. Nec minore pietate eum prosequebantur discipuli, quod, aliis testimoniis missis, imprimis probat dolor, quo ejus exilium ferebant. *Ejulantibus universis fratribus et sicut funus subsequentibus*, ait JONAS, *Luxovio egressus est. Vita* COLUMB. c. 37. l. c. f. 20.

nec vitam otiosam et ignavam duxisse, neque ad ea, tanquam clavo, affixos fuisse, ut spes plane deesset aliquando exeundi, sive ad causam CHRISTI per alias terras propagandam, seu ad condenda Coenobia, aut ad sedem Episcopalem aliamve dignitatem Ecclesiasticam occupandam.

Haec de Regulae a COLUMBANO constitutae severitate. Res autem, quae ad morum vitaeque correctionem minus faciunt, in *libro de quotidianis poenitentiis* saepe ita tractavit, ut ritus externos magis, quam animi probitatem curare videretur. Quod tamen ita non esse ex ipsa Regula abunde probari potest, ibi nempe omnia, exceptis iis, quae capite septimo fusius de numero Psalmorum, qui per noctem cani debent, disputantur (1), ad veras hominis Christiani virtutes praecipue pertinent. Et ubique diserte docet auctor, Supremum rerum humanarum Judicem mentis indolisque humanae rationem habere: quare eo Monachos suos, ut hanc in melius mutent, perducere conatur. Sic e. g. capite quarto de *cupiditate calcanda* ait: *Non solum superflua eos* (Monachos) *habere damnabile est, sed etiam velle: quorum non census, sed voluntas quaeritur: qui relinquentes omnia et* CHRISTUM *Dominum cum timoris cruce quotidiani se-*

(1) Qua in re hoc ei peculiare est, quod, quo longiores sint noctes, vigilias et numerum Psalmorum augeri jubet. Cf. NATALIS ALEXANDER, T. V. f. 527.

quentes, in coelis habent thesauros. Et capite sexto de *castitate: Castitas vera Monachi in cogitationibus judicatur; cui nimirum cum Discipulis ad audiendum accedentibus a Domino dicitur: «Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam moechatus est eam in corde suo." Et quid prodest virgo corpore, si non sit virgo mente? Deus enim spiritus in spiritu habitat mente, quem immaculatum viderit.* Neque etiam jejunia, nullo modo, quem ultra progredi non oporteat, constituto, Monachis commendat: ea enim tantum necessaria esse dicit, *ne venter oneretur et mens suffocetur. Si enim modum abstinentia excesserit, vitium, non virtus erit: virtus enim multa sustinet bona et continet. Ergo quotidie jejunandum est, sicut quotidie reficiendum est* (1).

Literas Sacras quod attinet, ad eas COLUMBANUS in *Regula* sua haud raro provocat, ut hac auctoritate suis dictis majorem vim adjiciat. Utriusque Testamenti loci interdum perverse ab eo citantur. Hoc enim commune habuit cum scriptoribus sui temporis, ut ad verborum sonum passim magis quam ad orationis sensum nexumque attenderet. At haec tamen consuetudo, quae in omnibus COLUMBANI operibus inveniri potest, eum inde a juventute in Sacrarum Literarum studium incubuisse testatur. Nec negandum est, una cum harum Literarum usu, ubique se

(1) Cf. *Bibl. Max.* l. c. f. 3 sqq.

prodere liberaliorem religionis tractandae rationem. Iis enim in medium allatis, populorum doctores habebant, quo CHRISTI causam contra adversariorum strepitum defenderent. Neque iis hominum auctoritate opus erat, ut institutionis suae bonitas vulgo probaretur (1), immo aditus ad ipsum quasi veri fontem semper patebat. Deplorandum modo est saepe factum esse, ut, traditionem vel superstitionem suam sequentes, sibi ipsi minus constarent.

Praeter *Regulam* et *librum de quotidianis Poenitentiis* alia monumenta adhuc exstant, quae ad institutionis, quam COLUMBANUS suis discipulis dabat,

(1) In Epistola ad GREGORIUM M. suam sententiam de Paschate defendit COLUMBANUS argumentis e lege Mosaica petitis. Deinde concedit adversarios suos ei et dignitate et eruditione longe antecellere; *sed*, ita disputare pergit, *si licet hominibus augere per se aliquid divinae censurae, interrogo, ne forte videntur contrarium esse illi Deuteronomii sententiae. »Ecce," inquit, »verbum, quod tibi do, neque adjicias ad illud, neque auferas ab eo." Bibl. Max.* l. l. f. 32 E. Et cum Patres Synodi Gallicanae, ne eum in Vosago cum suis Monachis quiete viventem turbarent, per mutuam fidem in CHRISTO obtestatus esset eosque implorasset, ne leviorem de Paschate dissensionem curarent, haec verba addidit: *Ego scio, quod multis superflua videbitur haec mea loquacitas; sed melius judicavi, ut et vos sciretis, quae et nos hic tractamus et cogitamus inter nos. Hi sunt enim nostri Canones, Dominica et Apostolica mandata; in his fides nostra est; haec arma, scutum et gladium; haec Apologia, haec nos moverunt de patria; haec et hic servare contendimus, licet trepide; in his usque ad mortem perseverare, et oramus, et optamus, sicut et seniores nostros facere conspeximus. Bibl. Max.* l. c. f. 25. H.

naturam accuratius cognoscendam, magni momenti sunt. In codice nempe MSS. *Bobiensi* quatuordecim breves sermones COLUMBANI supersunt, *Instructionum seu Epistolarum* titulo notati. Horum sermonum duo, tertius nimirum et undecimus, in Codice Monasterii JOANNIS *Baptistae* Florinensis ordinis Benedictini exstant, ubi tamen inscriptio est: *Incipit Ordo* S. COLUMBANI, *Abbatis, de vita et actione Monachorum.* Eos autem proxime praecedunt verba BASILII ad Monachos: *Audi Fili monitiones Patris tui, et inclina aurem tuam ad verba mea: Commoda mihi libenter auditum.* Jam ex usu hujus admonitionis BASILII sequi videtur, COLUMBANUM has instructiones suis discipulis scripsisse. Neque igitur verisimili caret sententia eorum, qui putant Abbatem eas in Monachorum exercitationibus adhibuisse. Constat enim ex WALARICI vita, COLUMBANO usitatum fuisse suos discipulos res divinas docere (1). Et pro hac sententia insuper multa argumenta ex instructionibus ipsis petita pugnant, quamquam de modo, quo iis usus sit, nihil definire possumus.

Jam verba, a quibus incipit, COLUMBANUM ad suos Monachos loqui indicant. *Instructionis*, inquit, *valde*

---

(1) Vita S. WALARICI l. l. cap. 1. § 6. *Interea dum praedictus pater* (COLUMBANUS) *more solito ad instruendos Fratres divinae lectioni insisteret, et inter illos sacri verbi semina spiritualibus seminaret eloquiis, dumque Fratres undique concurrentes ad audiendum verbum Dei se invicem antecederent*, cet.

necessariam curam gerens, primum ante omnia, quod omnibus scire primum est, dicere, breviter licet, cupio, ut quod est fundamentum salutis omnium, nobis crepido sermonis sit; et inde nostra doctrina oriatur, unde omne, quod est, oritur, et quod non fuit, initiatur. Ad antea dicta provocat in Instr. VI: *Donante Domino de humana vita diximus, quod viae similitudo est: nunc umbram esse eandem, ut jam antea diximus, ostendamus vitam.* Sic etiam Instr. VIII: *Ecce nunc de fine vitae dicendum est; jam enim diximus viam esse humanam vitam, et quam sit dubia et incerta, et non esse quod est, umbrae similitudine monstravimus: similiter, quam improvisa et caeca sit, ante diximus; de fine vero vitae nostrae, Spiritu Sancto nos adjuvante, noster sermo procedendus.*

Haec Instructionum et ingressio et conclusio per doxologiam, CHRISTO vel DEO PATRI oblatam, indicat eas non uno tenore, sed longiori vel breviori intervallo, cum discipulis esse communicatas. COLUMBANUS autem non unice his sermonibus usus est ad docendos Monachos: satis enim constat, lectionem et explicationem Literarum Sacrarum ad eas accessisse. Sed operae tamen pretium videtur eas percurrere, ut inde tam rationem, qua Luxovii religionem tractare consueverit, quam ipsius Abbatis sententiam de ipsa CHRISTI doctrina cognoscamus (1).

---

(1) *Instructiones* leguntur in *Bibl. Max.* T. XII. f. 9 sqq.

De obscurioribus igitur doctrinae Christianae locis, quorum exiguus vel nullus ad vitam usus sit, pauca hîc tantum exstare nemo mirabitur, qui Historiam modo Ecclesiasticam de limine salutaverit. Erat COLUMBANUS alumnus Ecclesiae Hiberniae, quae homines sibi addictos habebat, pietatis Christianae laudem in actione potius, quam in verbis consistere suo exemplo ostendentes. Ut nulla sectarum dissensio inter eos orta erat, ita multae gentes eorum labore et periculo ad CHRISTUM adductae. De rebus divinis disputare supervacaneum putabant, CHRISTI praecepta sequi summum bonum existimabant (1). Majorum instituta religiose defendebant, Ecclesiae Orthodoxae doctrinam tenebant, sed a rixis, Ecclesiam Graecam turbantibus, semper se abstinebant. Dubitandum autem non est, quin Scoti, qui, patria CHRISTI ob causam relicta, inter gentes barbaras procul a Theologorum scholis in Monasteriorum solitudine degerent, hunc popularium suorum morem secuti sint.

---

(1) COLUMBANUS hanc sententiam ita enuntiat: *Quaere ergo summam scientiam non verborum disputatione, sed morum bonorum perfectione; non lingua, sed fide, quae de cordis simplicitate procedit, non quae de impietatis doctae conjectura colligitur.* Instr. I.

Ecclesiae Britannicae antiquae doctores *Anthropologiam* imprimis exponebant, minus delectabantur *Theologiae* proprie sic dictae explicatione philosopha. Hoc etiam PELAGII probat exemplum, si ille revera hujus ecclesiae fuit alumnus. Cf. MÜNTER l. c. B. I. p. 77.

Itaque COLUMBANUS verbo tantum attigit doctrinam de *Trinitate*, ut se Ecclesiae Orthodoxae assentire probaret (1). Duobus igitur Literarum Sacrarum locis usus est, altero Matth. XXVIII. 19 ad personarum trinitatem, altero Deut. VI. 4 ad Dei unitatem defendendam. *His duobus testimoniis duarum legum*, ait, *quasi quibusdam fulcris firmissimis fides credentium firmata est. — Ex his inquam testimoniis omnis errorum exclusa est perversitas. — Cui haec pauca de Dei trinitate non sufficiunt, plura juxta Scripturam non proderunt.*

Hinc apparet auctorem sibi non placere in citanda locorum multitudine, ut suam eruditionem ostendat, vel haereticos increpandi occasionem captet; sed fidei, quam sequitur, doctrina paucis nititur argumentis, quibus ille satis confirmatus est. Nec longior est in exponendis Dei attributis. Jure enim quaerit: *de essentia vero ejus quis dicere poterit?* et exemplo petito a maris profunditate, *intellige*, inquit, *si vis scire Creatorem, creaturam; si nec illam, tace de Creatore: melior est enim et plus scit pietas tacens*, *quam impia loquacitas.* Quam procul talia absunt ab ista subtili-

(1) Nullam mentionem facit Conciliorum. Ubique ad Literas Sacras provocat. *Exceptis his*, inquit, *quae aut Lex, aut Prophetae, aut Euangelium, aut Apostoli loquuntur, grande debet esse ab aliis de Trinitate silentium. Dei enim tantum de Deo, hoc est, de se ipso credendum est testimonium.* Instr. 2.

tatis affectatione, quae inde a seculo XI apud Theologos Ecclesiae Occidentalis, qui vulgo *Scholastici* dicuntur, invaluit. Multis contra nominibus cum COLUMBANO convenerunt *Mystici* recentiorum aetatum, quos ita praecessit ille, ut omnia ad vitae usum applicaret. Nimirum Dei virtutes ex operibus ejus conspicuas laudat. Ejus beneficia in homines per CHRISTUM collata celebrat. His opponit hominum naturam peccatis corruptam, emendationis moralis necessitatem una cum ejus difficultate (1). Praedicat denique vitae CHRISTO

---

(1) Monachis imprimis, ne suis meritis superbientes ad interitum ruerunt, timebat. Erat enim COLUMBANI animus modestus, a Pharisaeorum vitio quam maxime alienus. De hoc argumento ita ad *Discipulos suos* scripsit: *Non digni sunt misericordia, nisi qui se miseros confitentur coram Deo, et indignos se sentiunt salute per se, nisi sola Domini misericordia de tantis periculis eripiantur: qui, licet bonorum conscii sibi sint operum, tamen, Dei judicia timentes et multa perpetrasse injusta gementes, in Dei solius pietatem humiliter confidunt: quorum timor perfectus plus placet, quo plus humilitati student. — Saepe, ut ait quidam, magnitudo virtutis quibusdam fuit occasio perditionis; qui nimirum, ex quo pulchriores sunt virtutibus, ab humilitatis gradu descendunt; inde scriptum est: Quo pulchrior es, descende, surge, et dormi cum incircumcisis, ac si aliis verbis animae diceret superbae: quia tua sanctitate te elevasti in superbiam, descende inde modo, et esto inter peccatores computanda, quia nihil apud me est, quod cum superbia efficitur. Angusta, vides, porta est, et paucis degressa perfectionis via, quae a laeva vitia, a dextera vanitatis et superbiae mala declinat. Bibl. Max.* l. c. f. 27. E.

dicatae hac in terra dulcedinem et spem beatitatis futurae.

Exempla nonnulla proferamus. De Dei omnipraesentia non longa et arguta est ejus disputatio, sed, JESAIAE Capite LXVI citato, sic pergit: *Deus ergo ubique est, immensus, totus, et ubique proximus; juxta suum de se testimonium: ego sum, inquit, Deus proximans, et non Deus de longe. Non ergo longe a nobis manentem quaerimus Deum, quem intra nos sumere habemus; in nobis enim habitat, quasi anima in corpore, si tamen nos membra sana sumus ejus, si mortui non sumus peccatis, si putridae voluntatis corruptione immunes sumus: tunc vere ille habitat in nobis, qui dixit: et habitabo in iis, et inter illos ambulabo. Si autem digni sumus, ut ille in nobis sit, tunc in veritate ab illo vivificamur, quasi viva ejus membra: in ipso enim, ut ait Apostolus, vivimus, et movemur, et sumus.* Ita, quum dixerit Deum a nobis neque videri posse, neque intelligi, orationem persequitur ajens: *Qui est, et quantus est, sibi soli notus est. Sed quia noster Deus est, invisibilis licet nobis, a nobis tamen pulsandus est, saepe pulsandus, semper tenendus est profundus Deus, immensus, secretus, excelsus, omnipotens Deus* (1).

Quanto animi ardore CHRISTUM complectatur, haec Instructionis XII docet conclusio: *Tuum sit, quaeso, te nobis pulsantibus monstrare, amantissime Salvator,*

(1) Instruct. 1. *Bibl. Max.* l. c. f. 9.

ut te intelligentes tantum te amemus, te solum amemus, te solum desideremus, te solum meditemur die ac nocte, semper te cogitemus, et in tantum nobis tuum inspirare digneris amorem, quantum te amari Deum decet ac diligi, ut omnia interiora nostra tua occupat dilectio, totosque nos tuus possideat amor, totos nostros sensus tua impleat caritas, ut praeter te aliud amare nesciamus, qui sempiternus es, quo tanta charitas aquis multis hujus aëris, et hujus terrae, et hujus maris extingui in nobis nequeat juxta illud: et aquae multae non potuerunt exstinguere charitatem. Quod in nobis quoque compleri vel ex parte possit, te donante Domino nostro, JESU CHRISTO, *cui gloria in secula seculorum. Amen* (1).

Jam hujus viri animum rerum humanarum fragilitate et inanitate, si cum rebus vitae futurae comparantur, vehementer affectum fuisse, quisque sua sponte intelliget (2).

---

(1) *Bibl. Max.* l. c. f. 18. G.

(2) Hujus vitae vanitas COLUMBANO etiam carminum praebuit materiam. In ea probanda versatur ad HUNALDUM, ad SETHUM et ad FEDOLIUM rhythmice scribens, eam multa *monosticha*, quae dicuntur, spectant, ea denique argumentum est Rhythmi de *vanitate et miseria vitae mortalis. Bibl. Max.* l. c. f. 33 sqq. Haec carmina, quae neque arte se commendant poëtica, neque sententiarum acumine et gravitate, eo lubentius hîc praetereo, quia, lectis *Instructionibus*, ad COLUMBANUM cognoscendum parvi sunt momenti: nisi cujus scire intersit eum, neque Historiae antiquae, nec Mythologiae ignarum fuisse. *Monosticha* quod attinet, BASNAGIUS, argumentis haud ita spernendis in medium alla-

Et sane duabus Instructionibus, quinta et sexta, expresse demonstrat vitam humanam nihil esse nisi viam et umbram. *Via es*, inquit, *via es, sed non omnibus manifesta es: multi enim te vident, et pauci te viam esse intelligunt. Sic enim subtilis es, et sic seductrix, ut paucorum sit te scire viam. Transeunda ergo es et non habitanda, misera humana vita: nullus enim in via habitat, sed ambulat, ut qui ambulant in via, habitent in patria. Ne quaeramus in via, quod in patria futurum est; labor enim et fatigatio in itinere versatur, in patria requies et securitas paratur.* — Similiter ait Instr. VIII: *Patriam non habemus in terra, quia Pater noster in coelis est.*

Imprimis COLUMBANUS animadvertit, ut cujusque disciplinae alumnis, antequam perfectionem consequantur, multi labores subeundi sint, multae difficultates superandae; sic etiam Scholae Christianae alumnis suos labores, suas difficultates esse. Quod maxime valuit medii aevi temporibus, quae homini Christiano varia pepererunt mala et pericula nobis incognita. Accedebant, quae omni aetati communia sunt, injuriarum, quas generose ferre oporteat, varietas, atrox cum

---

tis, dubitat, an jure COLUMBANO adscribantur, alii tamen eum auctorem fuisse defendunt. Cf. CANISIUS, *Thesaurus Monum. Eccl. et Hist. ed.* BASNAGE, T. I. f. 772; et *Hist. Litt. de la France*, l. c. p. 519. Epistola ad HYNALDUM et ad FEDOLIUM, ac COLUMBANI Rhythmus etiam exstant apud USSERIUM in *Syll.* s. c. *epist.* 4, 5 et 6, p. 9 sqq.

cupiditatibus vitiisque certamen, in quibus tamen ei, qui bene se gesserit, certa et aeterna molestiae et aerumnae requies constituta est. Ad haec autem attendens COLUMBANUS scripsit: *Licet praesentium miseriarum moeroribus repleamur, licet peccatorum nostrorum frequentia tristemur, victoria tamen utrorumque liberalis laetitia et nobile gaudium est. Et licet pro tempore perigrinemur a Domino, ut pro brevis temporis bello in aeternum coronemur, nimium tristes esse non debemus, scientes mox esse ad Deum nos ituros et cum eo semper mansuros: ad hoc enim nos creavit, ut cum eo semper regnantes in secula seculorum laudemus, et gratias ei agere perseveremus* (1).

In Instructionibus sane COLUMBANI firmissimum argumentum habemus contra eos, qui eum hoc nomine reprehendunt, quod per Regulae suae severitatem ingenii animique vires opprimat magis, quam ad bonum atque honestum erigat. Ut enim disciplinam hîc proponit eandem, qua se ipse in Monasterio *Banchorensi* exercuit et formavit; sic oratio talis est, ut magis Mysticorum lenitatem quam Eremitarum asperitatem imitetur. Prompta autem et parata semper Abbatis erat prudentia ad omnia secundum Monachorum indolem moderanda, et unumquemque admonitione et exemplo, prout oporteret, incitandum vel cohibendum. Nec profecto commendabat pietatis fucum, quo delectari

---

(1) *Bibl. Max.* l. c. f. 13 C.

solent homines ritus externos pro animi candore et integritate substituentes, sed vitia imprimis superanda et fuganda esse docebat. In Instructione secunda, quae tota in hoc argumento versatur, legimus: *Si caro conteratur, et anima non fructificet, sic est, quasi arari campus non desinat, et nunquam tamen messis appareat; aut si quis statuam de foris auream, de intus luteam aedificaret. Quid enim prodest, si extra civitatem bellum geratur, et intus excidium patiatur? Velut, si quis extra vineam et in circuïtu ejus foderet, et intus incultam spinis ac tribulis relinquatur. Quid ergo prodest exterioris hominis religio, nisi interioris quoque adhibeatur emendatio? Fictus et latro esse potest, fictus et hypocrita est, quicunque aliud habitu ostendit, aliud moribus. Ne simus ergo tanquam sepulcra dealbata, cet.* Et paullo inferius ait: *Non enim auditu lex sanctificat, sed facto procul dubio; unusquisque non verbis tantum et corporali labore, sed morum maturitate et cordis puritate Dominum honoret. Nec dicatur de nobis: hic populus labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* (1).

---

(1) Gildas, etiam ex Hibernia oriundus, in appendice ad Synodum Patricii (anno 456) de *abstinentia ciborum* ita disputat: *Abstinentia corporalium ciborum absque caritate inutilis est: meliores sunt ergo, qui non magno opere jejunant, nec supra modum a creatura Dei se abstinent, cor intrinsecus nitidum coram Deo sollicite servantes, a quo sciunt exitum [vitae; quam illi, qui carnem non*

Quanta porro COLUMBANI fuerit in consiliis capiendis prudentia, in iis, quae cepisset, peragendis constantia et perseverantia, vitae ejus historia, ut nos jam supra docuit, sic infra uberius docebit. Et rarissime sane in uno eodemque viro haec duo conveniunt, ut contemplationi rerum intelligibilium deditus sit, et simul agendi ardore et studio impletus (1). Sic animi vires, quae meditando in solitudine excitantur et aluntur, in civitate ostendi et in usum multorum adhiberi possunt. Quod cum faceret COLUMBANUS, sapientiae haud vulgaris praecepta dedit in Instr. XIV, quae nobis describenda restant: *Fortis* (esto), inquit, *in tribulationibus, et imbecillis in discordiis; tardus ad irascendum, velox ad discendum; tardus quoque ad loquendum, ut sanctus ait* JACOBUS, *velox similiter ad audiendum; efficax in profectu, hebes in vindicta; cautus in verbo, promptus in opere; amabilis probis, squallidus inhonestis; levis infirmis, durus stolidis; rectus ere-*

---

edunt, nec cibis secularibus delectantur, neque vehiculis equisque vehuntur, et pro his quasi superiores caeteris se putantes, quibus mors intrat per fenestram elevationis. GIESELER l. c. p. 715.

(1) *Mit grosser nach aussen hin wirkender Kraft und Thätigkeit verband Columban ein der religiösen Betrachtung zugewandtes, der innern Stille sich erfreuendes Gemüth, und eben dass beides so bei ihm vereinigt seyn konnte, wie bei manchen der frommen Männer dieser Zeit, ist ein Beweis ihrer gesunden christlichen Einfalt, ihres festen in Gott gegründeten Sinnes.* NEANDER, *Denkw.* l. c. p. 41.

ctis, humilis dejectis; audax in causa veritatis, timidus in contentionibus; supplex bonis, insuperabilis malis; mitis in liberalitate, infatigabilis in charitate; justus in omnibus, pius dignis, misericors pauperibus; memor beneficiorum, immemor injuriarum.

His de COLUMBANI disciplina dictis, nemo, ut credo, amplius mirabitur, brevi praeclaros viros ex ejus schola exiisse, qui Ecclesiae Galliae ornamento essent; et ad monasterii *Luxoviensis* exemplum multa alia ab ejus discipulis esse condita (1). Non diu tamen factum est, ut rerum scriptores Coenobiorum, quae COLUMBANI Regulam sequerentur, mentionem facerent: multo minus ei inter varios Monachorum ordines, qui medio aevo in Gallia floruerunt, locus tribuitur. Ni-

(1) Auctor anonymus vitae S. FRODOBERTI, Abbatis *Trecensis* in Campania, qui sub finem seculi VII scripsit, disciplinam, quae Luxovii vigebat, his verbis laudat: *Erat eo tempore* (circa annum 630) *praenominatum Luxoviense coenobium in Gallicis regionibus paene singulare, tam in religionis apice, quam etiam in perfectione doctrinae. Qua ex causa plurimi, quibus in utramvis partem proficiscendi fervor inerat, ad eundem locum certantibus studiis undique confluebant. Acta S. S.* m. Januarii T. I. f. 507. Magna Monachorum Luxoviensium in Ecclesiam Galliae merita Benedictini sic celebrant: *Les grands hommes qui en* (de Luxeuil) *sortirent successivement en bon nombre, tant pour gouverner des Eglises entières, que de simples monastères, répandirent en tant d'endroits les maximes salutaires de ce sacré désert, que plusieurs de nos provinces parurent avoir heureusement changé de face. Hist. Litt. de la France* l. c. p. 507.

mirum paulatim ad magis magisque increbrescentes *Benedictinos* COLUMBANI sectatores transierunt, donec plane cum iis coalescerent. Quod jam paucis annis post mortem COLUMBANI factum esse volunt ordinis *Benedictini* scriptores; *Jesuïtae* vero se iis opponentes ad seculum demum octavum pertinuisse contendunt (1). Quid autem de hac lite, a doctis antiquitatis Ecclesiasticae scrutatoribus non sine studio et ira agitata, statuendum sit, se ipsum facile explicabit. Incipiamus ab indagandis causis, cur sectatores COLUMBANI Regulae BENEDICTI se submiserint.

COLUMBANUS igitur *Regulam* condidit, nihil aliud quam officia Monachorum generatim proponentem. Ipso in libro *de quotidianis poenitentiis*, in quo, ut supra vidimus, singulis delictis contra disciplinam commissis certas poenas constituit, nihil quoque de regimine Monasterii legitur. Scripsit in usum Monachorum, quibus sub ejus cura paterna vivere placebat, ut hi quidem vitam suam regere scirent, et ipse certam haberet peccata castigandi normam, qua semper

---

(1) Benedictinorum sententiam pro parte tuetur MABILLONIUS in *Act.* l. c. praef. cap. 9, ubi ea, qua solet, industria et eruditione veterum scriptorum testimonia recenset, et universam quaestionem exponit. Ab altera parte stant BOLLANDI successores, quorum argumenta leguntur in *Comm. praev. Vitae* s. ATTALAE in *Act. S. S.* m. Martis T. II. f. 42, et in *Comm. hist. crit. Vitae* s. AUREAE l. c. m. Octobris T. II. f. 477 sqq.

sine invidia uteretur. De ordine igitur condendo non cogitabat, sed studiosus tantum erat disciplinae inter suos servandae (1). At BENEDICTUS Regulam elaboratam et accuratam edidit, qua Monasterii formam perfectiorem, quam antea, induceret, ut illud regerent *Abbas*, *Praepositus* et *Decani*, vel ab omnibus Monachis, vel a senioribus tantum eligendi (2). Hanc Regulam, quam anno 529 in suo Monasterio *Cassinensi* posuit, brevi multa Monasteria in Italia non tantum, sed in Gallia etiam et Hispania secuta sunt. Quod non ita intelligendum est, ac si pristina sua instituta rejecerint: immo vero haec ad novam Regulam amplificarunt et ornarunt. Sic etiam Monachi COLUMBANI (3). Multa enim Monasteria condiderant, in quibus, quemadmodum Luxovii, secundum praecepta

(1) VENEMA recte animadvertit COLUMBANI regulam diversam quidem fuisse a BENEDICTI Regula, nec tamen diversum constituisse ordinem. *Unicus enim*, sic scribere pergit, *hoc tempore fuit ordo, idem omnium scopus et institutum, omnium rerum abdicatio, et secessus a seculi corruptelis et tumultu, carnisque mortificatio. Nec varii novarum regularum ordines sub diversis regulis noti fuerunt ante seculum XIII. Erant quidem variae regulae, saepe in uno quoque Monasterio, sed idem omnium ordo et mutua communio.* Cf. ejus *Hist. Eccl.* T. IV. p. 734.

(2) Regula BENEDICTI exstat in *Bibl. Max.* T. IX. f. 640 sqq. Cf. de ea SCHRÖCKH *Chr. Kirchengesch.* T. XVII. p. 444. Leipzig 1792.

(3) Cf. GREG. *Tur. Hist.* L. X. c. 29. apud M. BOUQ. l. c. T. III. f. 382 D. et NATALIS ALEXANDER T. V. f. 527.

COLUMBANI vivebant, ejus et opera legentes ac describentes, et memoriam pie colentes. Haec autem Coenobia Abbates ita regebant, ut secundum variam Monachorum indolem alii aliter agerent: neque ullo tanquam nexu illa inter se conjuncta erant, nisi communis originis vinculo. Jam vero regula BENEDICTI, cum ubique per Galliam innotuisset, ibi quoque placere incepit, donec tandem se omnes ei subjicerent. Quod eos non impedivit, quominus COLUMBANI praecepta sequi pergerent, atque etiam passim nomen ejus ferrent (1). Sed hujus nominis usus in desuetudinem abiit, postquam variarum regionum Monasteria, quae ad BENEDICTI regulam composita erant, ad unum imperium redacta sunt. Quo quidem tempore factum

(1) *Ipsi* (Monachi COLUMBANI), *reor*, inquit ORDERICUS VITALIS, B. MAURUM *ejusque socios et discipulos noverunt, utpote vicini, et ab ipsis, sicuti ab aliis scripta Doctorum, aedificationis causa sancti normam suscepere* BENEDICTI: *ita tamen, ut non abhorrerent sui statuta Magistri, almi videlicet* COLUMBANI. *Ab ipso siquidem modum divinae servitutis et ordinem didicerunt, et formam orationum pro cunctis Ordinibus, qui in Ecclesia Dei sunt, nigredinem vestium aliasque observationes sumpserunt, quas pro religione et honestate ipsius tenuerunt, et sequaces eorum usque in hodiernum diem reverenter observare appetunt. Eccl. Hist.* L. VIII. in fine l. c. f. 716. Quamquam Auctor in eo errat, quod discipulos COLUMBANI MAURUM, qui jam anno 545 diem supremum obiit, cognovisse putat, rem ipsam tamen verissime proponit. Et ORDERICI verba nos docent tempore, quo scripsit (1141), in nonnullis Monasteriis quaedam praecepta COLUMBANI adhuc observata fuisse.

quoque est, ut COLUMBANI sectatores omnino coalescerent cum Benedictinis (1).

Atque nunc intelligitur Monachos illos non omnes simul mutuoque consensu BENEDICTI Regulam accepisse. Inepta igitur lis est inter *Benedictinos* et *Jesuïtas*, siquidem, his ad recentiora transitionis exempla, illis ad antiquiora provocantibus, utrisque de eo constat, quod in disceptationem vocari nequit: satis liquere, jam brevi post mortem COLUMBANI in nonnullis Monasteriis, ejus nomine dictis, Regulam BENEDICTI valuisse, sed eam ante seculum nonum in omnibus omnino non observatam esse.

Sed progrediamur ad nonnulla monenda de invidia hominum, quam COLUMBANUS in Gallia passus est. Ecclesia igitur Hiberniae de quorumdam rituum usu ab Ecclesia dissentiebat Romana, cui Galli addicti erant (2). Jam COLUMBANUS patriae suae causam firmi-

(1) LUDOVICUS *Pius*, instigante BENEDICTO *Anianensi*, anno 817 Capitulare edidit *de vita et conversatione Monachorum*, quo, varietatibus disciplinae sublatis, omnibus Monasteriis regni sui Regulam BENEDICTI imposuit. Cf. MICHELET l. c. p. 334. Congregatio *Cluniacensis* medio seculo decimo orta est, et Monasteria Benedictina Galliae sub unius Abbatis Cluniacensis imperium junxit. Cf. GIESELER, l. c. B. II. Abth. 1. p. 256 sqq.

(2) Hujus dissensionis naturam et amplitudinem accurate exponit MÜNTER, l. c. B. II. p. 744 sqq. De ea etiam legi meretur MOORE, qui tamen, quippe Ecclesiae Romano-Catholicae causae firmiter addictus, discrimen inter utramque Ecclesiam magna ex parte diffitetur. *History of Ireland* by THOMAS MOORE, V. I. p. 186 sqq. Paris 1835.

ter tenebat, Luxovii aliter vivere nolens, quam secundum majorum consuetudinem: idque multo magis, quoniam ejus Monasterium, in Vosagi deserto, procul remotum erat a locis, ubi Clericis offensionem pariturus erat. Verum hoc tamen illi huic viro concedere noluerunt, immo multis molestiis eum hanc ob causam affecerunt. JONAM autem hanc litem non attigisse valde mirandum est, quum satis copiose narraverit, quae Luxovii gesta essent: sed tutius fortasse duxit silentio praeterire controversiam, cujus commemoratione fieri posset, ut odia vetera renovarentur. Quod si verum est, haud scio, an eam quoque spectaverit in Prologo vitae s. COLUMBANI ad BOBOLENUM et WALDEBERTUM scribens: *Inserimus ergo illa, quae a veris assertoribus experti sumus fuisse patrata, et praetermittere negligentiae deputavimus; multaque praetermissa, quae ex toto nequaquam meminimus, et pro parte scribere nullatenus ratum duximus* (1). Nunc Epistolae, a COLUMBANO ad GREGORIUM M., ad Episcopos Ecclesiae Galliae atque ad BONIFACIUM IV. hac de quaestione scriptae, unica monumenta sunt, quibus hic uti possimus. Videamus igitur, quaenam illae doceant (2).

(1) Cf. *Vita* s. COLUMBANI *in Prol.* cap. 4 apud MABILLON. l. l. f. 6.

(2) Epistolae COLUMBANI leguntur in *Bibl. Max.* l. c. f. 24 sqq. Et ea quidem, quam ad GREGORIUM M. dedit, tempore prima est; sed editores secuti PATRICIUM FLEMINGUM, illam

Epistolam ad GREGORIUM M. jam memorat COLUMBANUS in Epistola sua ad Patres Gallicanos: hanc igitur illa praecessit. Et scripta quidem esse videtur circa annum 599, cum COLUMBANUS se a Clericis propterea vexari videret, quod alio tempore cum Monachis suis festum Paschale celebraret, quam Ecclesiarum Galliae mos ferebat; vel cum certe vereretur, ne hujusmodi vexatio sibi immineret. Apparet illud ex una alteraque dicendi formula ibi reperiunda. Sic jam ab initio legimus: *Tuae Euangelicae humilitatis fiducia fretus, tibi scribere praesumo, et mei doloris negotium injungo*, et, nonnullis interpositis: *Idcirco mihi timido peregrino magis, quam sciolo, tuae dirige fulcrum sententiae, et mature punctum tuae placabilitatis, huic tempestati nos circumdanti compescendae, transmittere non dedigneris*. His aliisque verbis GREGORIUM M. persuadere conatus est, ut ille auctoritate sua Episcopos Galliae compesceret.

Simul quoque improbavit VICTORII *Cyclum s. Canonem Paschalem*, quem Galli, Pascha die dominico post decimam quartam Lunam celebrantes, adoptaverant, ritum defendens Hiberniae usitatum, ubi, praeterquam quod Cyclum 84 annorum tenebant, Pascha etiam agebant decima quarta Luna, si ea in diem dominicum incideret: quatenus a Judaeis discrepabant,

---

postremo loco posuerunt. Exstat etiam inter Literas GREGORII M. Lib. IX. Ep. 127. l. c. f. 1036.

qui decima quarta Luna, in qualemcunque hebdomadis diem cadat, adstricti sunt (1). An COLUMBANUS argumenta satis valida pro sua causa in medium afferat, et contradictiones probabiliter refellat, hujus loci non est explorare. Paucis potius ostendamus, quam libere et ingenue sententiam suam GREGORIO explicuerit Papae Romano, quem ob doctrinam et pietatem ceteroquin magni faceret. Admonuit igitur eum, ne LEONIS I aliorumque antecessorum, qui VICTORII Cyclum probassent, judicio contentus esset. *Noli te quaeso*, inquit, *in tali quaestione humilitati tantum aut gravitati credere, quae saepe falluntur. Melior forte est canis vivus in hoc problemate leone mortuo. Vivus namque sanctus emendare potest, quae ab altero majore emendata non fuerunt.* Ostendit porro, quam ridiculum sit cum multis Episcopis tantum di-

---

(1) Non igitur fuerunt *quartodecimani*, quod AUGUSTINUS aliique defensores ritus Romani, ut Hibernis haereseos labem inferrent, frustra contenderunt. Nonnulli scriptores recentiores hoc errore abusi sunt, quo suam sententiam de Ecclesiae Hiberniae origine Graeca defenderent. Cyclum Romanum sequebantur 84 annorum, qui ante LEONEM I per universum Occidentem valuerat, sed hujus Cycli emendationes, auctoribus VICTORIO (457) et DIONYSIO *Exiguo* (525), quippe iis incognitas, non adoptaverant. Cff. praeter USSERIUM (*Britann. Eccl. Antiq.* p. 480 sqq. London 1687), cujus librum non vidi, imprimis THOMAS MOORE, l. c. Vol. I. pag. 211 sqq. et 223 sq. SCHRÖCKH l. c. T. XVII. p. 426 et GIESELER l. c. T. I. p. 716. not. e.

cere: *Cum Judaeis Pascha facere non debemus, nullis scilicet,* ut ait, *Divinae Scripturae fulta testimoniis sententia* (1). Causae suae bonitatem defendit auctoritate HIERONYMI, quippe qui opus ANATOLII *de Paschate*, Ecclesiae Hiberniae favens, in *Catalogo* laudaverit (2). Suadet GREGORIO, ne hunc virum sanctum vilipendat: *simpliciter enim*, inquit, *ego tibi confiteor, quod contra* S. HIERONYMI *auctoritatem veniens apud Occidentis Ecclesias haereticus seu respuendus erit; illi enim per omnia indubitatam in Scripturis divinis accommodant fidem.*

Cave tamen, credas COLUMBANUM haec Pontifici Romano invidiose scripsisse: ubique enim debitum ei tribuit honorem (3). Praeterea reverenter et modeste eum rogat de *Episcopis Simoniacis* atque *adulteris*, et de *Monachis Monasteria deserentibus.* Et valde se optare

---

(1) Hoc argumentum, quod ab Episcopis Galliae in lite cum COLUMBANO etiam allatum fuisse hic docemur, ad refellendos Quartodecimanos vim tantum habebat. Contra quos eo usus erat VICTOR, Papa Romanus (190), ut ex COLUMBANI verbis intelligitur: *Dixit hoc olim et* VICTOR *Episcopus, sed nemo Orientalium suum recepit commentum.* De Schismate VICTOREM inter et Episcopos Asiae Minoris conferatur HASE, *Kircheng.* p. 84. Leipzig 1836.

(2) ANATOLIUS auctor erat Cycli 19 annorum, quem Aegyptii sequebantur. Cf. GIESELER l. c. T. I. p. 576 not. *k.*

(3) COLUMBANUS, ut omnes GREGORII aequales, hunc Papam ob eruditionem et pietatem magni faciebat, quare multo reverentius scribebat ei, quam BONIFACIO IV.

dicit, ut de his aliisque argumentis coram cum GREGORIO colloqui possit, sed corporis sui infirmitatem et assiduam Monachorum curam obstare, quominus iter versus Romam suspiciat. Laudat porro ejus librum *de regimine Pastorali* (Regula Pastoralis), ab eoque petit opuscula ejus in *Ezechiëlem* et *Cantica Canticorum*. Epistolae suae in fine hanc gravem admonitionem addit: *Persuperfluum puto commendari tibi meos, quos Salvator, quasi in suo nomine ambulantes, recipiendos esse decernit; et si, ut audivi a Sancto Candido tuo, hoc respondere volueris, temporis antiquitate roborata mutari non posse, manifeste antiquus error est; sed semper antiquior est veritas, quae illum reprehendit.*

Altera, quam memoravimus, COLUMBANI Epistola scripta est ad Patres cujusdam Synodi, in Gallia de quaestione Paschatis congregatae. Habitam illam esse circa annum 602 intelligimus inde, quod COLUMBANUS se duodecim annos Luxovii degisse ait. Nulla quidem ejus mentio fit apud scriptores, sed hoc difficultatem non parit, quoniam Concilia quoque majora praetereunt silentio (1).

Jam COLUMBANUS ab hujus Epistolae initio sibi Synodum sua de causa congregatam gratulatur, hoc benignitati divinae acceptum referens. Quod sane non mirabimur, si reputaverimus temporum perturbationibus et Episcoporum negligentia rarius factum esse, ut una

(1) *Bibl. Max.* l. c. f. 24.

convenirent. Se autem sperare dicit Patres nunc non tantum de Paschate acturos, sed graviores etiam errores emendaturos esse. Eos vero hortatur, ut vita et moribus veros se praestent CHRISTI discipulos, quod eo se consilio facere profitetur, ut, si illi Monachos docere velint, vita et moribus doctrinae pondus addant. *Haec*, inquit, *idcirco breviter tetigi*, *ut si volueritis nos*, *quasi inferiores*, *vos Patres docere*, *hanc vocem veri Pastoris et in opere et in ore habeatis*, *quam suae agnoscunt oves*. Universam quod attinet Epistolam, perspicue ostendit ea, COLUMBANUM nihil tulisse aegrius, nisi quod ob leviorem dissensionem turbaretur ab hominibus, quorum plerique moribus dissoluti essent, et cum doctrinae copia, tum vitae honestate se multo inferiores.

Confitetur autem multum paci Ecclesiae nocuisse et usque nocere *morum diversitatem traditionumque varietatem*. Contendit vero sectatores CHRISTI, quamquam de nonnullis ritibus inter se differant, se invicem tamen omnino diligere posse, si tantum, depositis superbia et invidia et vanae gloriae studio, CHRISTI praeceptum sequantur: *Discite a me*, *quia mitis sum et humilis corde*. *Dum cito*, ut dicere pergit COLUMBANUS, *veriora cognoscent*, *qui eodem proposito eodemque desiderio veritatis agnoscendae similiter quaerunt*, *quod rectius sequantur; quando nemo vincitur nisi error*, *et quando nullus in se*, *sed in Domino gloriatur*. *Quaeramus itaque simul*, *quaeso vos*, *amantissimi Patres ac*

Fratres, et videamus, qualis verior sit traditio, vestra an Fratrum vestrorum in Occidente. Et haec omnis sane disputatio de caritate fraterna digna est, quae his etiamnunc diebus legatur. Luculenter enim ostendit huic virtuti, si homines dissensionibus suis levioribus abutantur ad illam violandam, revera se mentis humanae opponere perversitatem et pravitatem.

Quaestionem de festi Paschalis celebratione auctor hoc loco non attigit, quoniam una cum his literis ad Synodum miserat *Tomum*, quem dicit, *responsionis suae*, quo suam sententiam omni ex parte exponebat. Se autem ipsum non advenisse monet, ne forte peccaret contra dictum Apostolicum: *Noli verbis contendere.* Hoc tantum rogat, ut sibi peregrino secundum patriae traditionem in Gallia vitam quiete agere liceat, et exoptans quidem, ne suam insipientiam vel arrogantiam, vel quomodo dicere velint, aegre ferant. *Et quia*, inquit, *hujus diversitatis author non sim, ac pro* CHRISTO *Salvatore, communi Domino ac Deo, in has terras peregrinus processerim, deprecor vos per communem Dominum, et per eum, qui judicaturus est vivos ac mortuos, adjuro, si mereamini ab eo agnosci, qui multis dicet: Amen dico vobis, quia numquam novi vos, ut mihi liceat cum vestra pace et charitate in his silvis silere et vivere juxta ossa nostrorum fratrum decem et septem defunctorum, sicut usque nunc licuit nobis inter vos vivere duodecim annis, ut pro vobis, sicut usque*

nunc fecimus, oremus, ut debemus. Capiat nos simul, oro, Gallia, quos capiet regnum coelorum, si boni simus meriti. Unum enim regnum habemus promissum, et unam spem vocationis in CHRISTO, *cum quo conregnabimus, si tamen prius hîc cum eo patiamur, ut et simul cum eo glorificemur. — Vos vero Patres Sancti videte, quid faciatis ad istos veteranos, pauperes et peregrinos Senes. Ut ego arbitror, melius vobis erit illos confortare, quam conturbare* (1). Et sic quidem ille. At vero, si pax Ecclesiae Gallicanae servari non posse deprehendatur, quamdiu ipse cum Monachis suis Luxovii resideat, hinc expelli mavult, quam teneri, ut usu significat verborum JONAE, vatis divini: *Si propter me haec tempestas sit supra vos, tollite me et mittite me in mare, ut commotio haec quiescat a vobis.* Synodi tamen Patribus exemplum proponit nautarum, qui, quamquam homines veri Dei ignari, et in mortis periculo versantes, tamen pietate commoti ad terram

(1) COLUMBANUS Episcopos illos iisdem verbis alloqui potuisset, quibus LIVINUS, popularis ejus, ad Belgas usus est, inter quos ad superstitionem veterem evertendam diu vixit, donec tandem martyrium subiret (633):

Quid tibi peccavi, qui pacis nuntia porto?
Pax est quod porto, cur mihi bella moves?
Sed quâ tu spiras feritas sors laeta triumphi,
Atque dabit palmam gloria martyrii.
Cui credam novi, nec spe frustrabor inani:
Qui spondet Deus est, quis dubitare potest?

Apud USSERIUM l. c. p. 19.

redire conabantur, ne virum peregrinum perderent. Eosdem denique Patres admonet, ne, dum ipsi luxuriose vivant, Monachis offendantur laborantibus et sudantibus, quo veluti per portam augustam ad vitae coelestis amplitudinem perveniant. Tunc enim, de iis exitum habitura ait verba Domini: *Vae vobis, Scribae et Pharisaei, quia clauditis regnum coelorum ante homines, et nec vos intratis, nec sinitis introeuntes intrare.* Paucis adhuc de Clericorum et Monachorum vita disputatis, ad calcem Epistolae Synodi Patribus caritatis virtutem his commendat verbis: *De cetero Patres orate pro nobis, sicut et nos facimus, viles licet, pro vobis. Et nolite nos a vobis alienos reputare: unius enim sumus corporis commembra, sivi Galli, sive Britanni, sive Iberi, sive quaeque gentes. Ideo gaudeamus omnes gentes in cognitione fidei et agnitione filii Dei.*

Quid in hac Synodo de celebratione festi Paschatis decretum sit, incognitum nobis est, quoniam ex una COLUMBANI Epistola, ut supra diximus, hanc Synodum convocatam esse scimus. Ex Literis tamen, quas auctor dedit ad BONIFACIUM IV, qui anno 607 ad dignitatem Papalem vocatus est, multos Clericos Galliae Scotis inimicos mansisse constat (1). Ab hoc enim

(1) *Bibl. Max.* l. c. f. 24. Haec Epistola adscripta est ad BONIFACIUM IV, nec video in ea, quare ad hunc virum missa esse non posset. Si tamen titulus (quod, tacentibus edito-

Papa idem illud rogat, quod jam petiit ante a GREGORIO M., ut nempe, eo intercedente, Deum cum suis Monachis secundum majorum instituta colere, veterum traditiones sequi et ritum Paschatis, ut a Patribus suis acceperat, observare possit. Defensionem tamen sententiae suae de Paschatis celebrandi tempore non repetit, ne BONIFACIO fastidium pareat. Tantum in memoriam ejus revocat ea, quae antea hac de re scripsit ad *Patres Apostolicos* et ad *Fratres suos, vicinos Episcopos*. Sed oportere demonstrat, ipse sociique sui in terra peregrina vivant, quemadmodum sua vixerint in patria: se enim nullas unquam regulas Gallorum accepisse, et inde ab eo tempore, quo in deserto Luxovii degissent, nemini fuisse molestos. Haec pax ut perpetua sit, Papam precatur, ad POLYCARPI et ANICETI exemplum provocans (1): *sicut*, inquit, *Sancti Patres*, POLYCARPUS *scilicet et Papa* ANICETUS, *sine scandalo fidei, imo cum integra charitate separantes, unusquisque quod accepit servans, et in*

---

ribus, nescio) nulla auctoritate nitatur, probabilius videtur has Literas vel ad SABINIANUM (604-606) vel ad BONIFACIUM III (606-607) datas fuisse. Cf. *Hist. Litt. de la France*, l. c. 515, et SCHRÖCKH l. c. T. XVII. p. 429.

(1) POLYCARPUS, Episc. *Smyrnensis*, cum circa annum 160 Romam venerat, de tempore, quo festum Paschatis celebrari deberet, cum ANICETO disputavit: uterque vero sententiam mutare noluit, et tamen in posterum etiam amice viverunt. Cf. GIESELER, l. c. p. 198 et HASE l. c. p. 84.

quo vocatus est, permanens, docuerunt. Vale, dulcissime in CHRISTO *Papa, memor nostri in Sanctis orationibus juxta Sanctorum cineres, et in piissimis sanctionibus juxta Constantinopolitanae Synodi centum quinquaginta authores, Ecclesias Dei, in barbaris gentibus constitutas, suis vivere legibus, sicut edoctas a patribus, judicantes.*

Jam ex tribus, quas recensuimus, Epistolis Episcopos aliosque Clericos Galliae COLUMBANO molestos fuisse vidimus; sed simul tamen inde nobis apparuit, homines illos ei quidem lites et contumelias intulisse, manum vero violentam non ita. Quod profecto non crediderim eos facile patraturos fuisse; quia Monachus Hibernus in vulgi favore et in sanctitatis, qua splendebat, fama firmum praesidium contra adversariorum suorum invidiam habebat. Praeterea Clerici Galliae varii fuerunt, quorum familiaritate et amicitia uteretur. Exemplo sit, quod de NICETIO, Episcopo *Vesontino*, in ejus vita his legimus verbis: *Inter quos* (NICETIUM et COLUMBANUM) *quanta fuerit verae concordiae caritas, quantaque in oratione societas, non est dictu facile. Die enim noctuque desiderabant alter alterum videre, salutatorias epistolas saepe sibi mittebant, de Dei servitio hortari et commonere invicem sese studebant* (1). Atque haec verba

(1) Cf. *Vita* s. NICETII, Episc. *Vesontini* in *Act. S. S.* m. Februarii T. II. f. 168. NICETIUS altaria in Ecclesiis Anagrate, Luxovii et Fontanis etiam dedicaverat.

majoris facienda sunt, quod Monachos eo tempore adhuc sub cura pastorali Episcoporum suae dioeceseos vixisse constat (1). Inde enim intelligimus eundem virum, qui primus COLUMBANI accusator et insectator esse potuisset, hunc Abbatem caritate complexum fuisse. Et Historia docet multos discipulos COLUMBANI ad summos honores in Ecclesia Gallicana pervenisse, quod eos impetraturos fuisse non crediderim, nisi magistrum haberent multorum judicio honoratum (2).

Multo acerbiora passus est COLUMBANUS crudelitate BRUNECHILDIS, regis THEODORICI aviae. Quod profecto mirandum non est; *nulla enim*, ut recte animadvertit auctor vitae S. NICETII, *concordia esse potest inter*

(1) Concilii Arel. V (554) can. 2: *Ut Monasteria vel Monachorum disciplina ad eum pertineat Episcopum, in cujus sunt territorio constituta.* Can. 3: *Ut Abbatibus longius a Monasteriis vagari sine Episcopi sui permissione non liceat. Quod si fecerint, juxta antiquos canones ab Episcopo suo regulariter corrigantur.* Apud SIRMONDUM, *Conc. Ant. Galliae.* T. I. f. 298 sqq.

(2) ORDERICUS VITALIS, *Eccl. Hist.* L. VIII. COLUMBANI Discipulos, quorum nomina in Ecclesia Gallicana inclaruerunt, ita recenset: *Florentissimi de schola ejus Monachi prodierunt, et in mundo, velut astra in firmamento, virtutibus micuerunt.* EUSTASIUS *enim Luxoviensis*, AGILUS *Resbacensis*, FARO *Meldensis*, AUDOMARUS *Bononiensis*, PHILIBERTUS *Gemmeticensis, aliique plures Episcopi et Abbates excellentissimae processerunt religionis, quorum sanctitas evidentibus miraculis coelitus ostensa est.* Apud DUCHESNIUM l. c. f. 717. B.

bonum et malam. Haec femina pessima, quam nonnulli recentiores rerum scriptores frustra criminibus liberare conati sunt (1), multum valebat apud nepotem suum THEODORICUM, qui sub ejus tutela CHILDEBERTO patri anno 696 Burgundionum rex successerat. THEODORICO ad adolescentiam accedente, multum ea timebat, ne uxorem duceret: non enim sine causa credebat hanc dominationi suae finem esse imposituram. Ne igitur sua potestas minueretur, omnibus artibus regem a legitimo conjugio abstinere studebat, quapropter feminas instigabat libidinosas, quae suis amplexibus eum irretirent, et ejus animum ab ho-

---

(1) De indole BRUNECHILDIS legi omnino meretur docta disputatio GAILLARDI, edita in *Mémoires de l'Académie des Inscriptions*, T. XXX. p. 633, qua PASQUIER, VELLY aliique hujus Reginae defensores refutantur. AIMOINUS l. c. L. IV. cap. 1. orationem memorat, qua CLOTARIUS hanc Reginam compellavit, antequam de ea crudelissimum supplicium sumebat, *Ad postremum*, inquit, *reputans ei, quod decem Reges Francorum ejus partim consilio, partim manu vel etiam maleficio* (veneno) *exstincti essent.* Morte BRUNECHILDIS narrata, AIMOINUS ita pergit: *Hunc* BRUNECHILDIS *exitum tulit, mulier in caedibus propinquorum maxime exercitata, nec tamen ex toto ita vecors exstitit, quin Dei ac Sanctorum ejus memorias, a praedecessoribus structas, venerabiliter excoleret, ipsaque novas fabricando devote multiplicaret.* Apud BOUQ. l. c. T. III. f. 117. Haec ultima AIMOINI verba nobis explicant laudes, quibus GREGORIUS M. et GREGORIUS *Turonensis* BRUNECHILDEM ornaverunt. Hi autem viri mortui erant ante vexationes, quibus Regina DESIDERIUM *Lugdunensem* et COLUMBANUM affecit.

nesto matrimonio averterent (1). Columbanus theodoricum, qui ad eum interdum veniebat, ob dissolutos mores et turpe vitae genus increpabat, eique suadebat, ut potius, conjuge sibi quaesita, regalem dignitatem hominis Christiani virtutibus ornaret. Rex viri Sancti monita benigne accipit, et spem ei facit fore, ut porro omne nefas arceret. Haec vero prima causa fuit odii brunechildis in columbanum; mox aliae accesserunt. Principibus enim, qui in hominem innocentem iram conceperunt, haud ita difficile est injuriam juris specie tegere.

Columbanus igitur, ut regem in Brocariaca villa (*Bourcheresse*) degentem haud raro adibat, sic tempore quodam ibi vidit brunechildem, quae cum filiis theodorici adulterinis sibi obviam veniebat. Jam, quid sibi velit Regina, rogat. *Regis*, inquit ea, *sunt filii*, *hos tu benedictione robora*. At ille: *Nequaquam istos regalia sceptra suscepturos scias*, *quia de lupanaribus emerserunt* (2). Ab hoc inde die femina atrox ei

(1) Aimoinus l. c. L. III. c. 93 narrat Regem antea hermenbergam, bertrici Regis Hispaniae filiam, duxisse et unice dilexisse, sed eam postea tamen, instigante avia, omnibus spoliatam ad Patrem remisisse. Quapropter cap. 94 etiam dicit theodoricum *a* columbano *argutum esse*, *cur*, *relicto legitimae conjugis matrimonio*, *adulterinis deserviret commixtionibus*. Apud bouq. l. c. f. 113.

(2) Aulae limen, a columbano in egrediendo tactum, fragorem edidisse narrat jonas, ut etiam aimoinus, qui hac Antithesi utitur: *Subito fragore totius mota est domus*

insidias parare coepit, et jam statim vicinis comitibus imperat, ne Monachos ei subjectos in sua ditione recipiant, neque iis subsidia praebeant: eosque denique curare jubet, ne extra Monasteriorum cancellos egrediantur.

Luxovium reversus COLUMBANUS celeriter intelligit, regem instigatione BRUNECHILDIS a se alienum esse factum, quod valde dolet, tam ob impedimentum ardenti suo religionis Christianae, hac in regione promovendae, studio positum, quam ob animi sui propensionem in THEODORICUM, quem juvenem custodire cupit, ne malis aviae artibus pessumdetur. Properat igitur ad Regem apud Spissiam villam (*Espoisse*) commorantem, ut monitu suo eum ad poenitentiam perducat. Rex autem de COLUMBANI adventu certior factus Viro Sancto debitum honorem solvere mavult, quam iram Dei sibi contrahere: quare dapes ei et pocula mittit, seque ad eum, quum ipse regiam intrare recuset, brevi venturum pollicetur. Regis vero dona spernit COLUMBANUS, eaque videns, *Scriptum est*, inquit, *munera impiorum reprobat Altissimus. Non enim dignum est, ut famulorum Dei ora cibis ejus polluantur, qui non solum suis, verum etiam aliorum habitaculis famulis Dei aditum denegat.* Atque hîc miramur profecto

---

fabrica; sed nefandissimae mulieris mens non est commota, immo majori iracundiae igne succensa. Apud BOUQ. l. c. 113 et 478.

viri animum sibi adeo constantem, ut haud magis blanditiis, quam comminationibus cederet. Hanc autem vim et efficacitatem habuit responsum ejus, ut uterque, rex ejusque avia, perculsi, non tantum ad eum exirent, verum etiam veniam ab eo peterent, morum emendationem promittentes. Ita placatus COLUMBANUS ad Monachos rediit; sed Rex non diu promissis stetit: novae vexationes contra Monachos instituuntur, vetera adulteria denuo patrantur.

BRUNECHILDIS Literis, quibus Abbas querimoniam suam renovat, turpiter abutitur ad Regis animum in eum incitandum (1), cujus nequitiae adjutores sedulos Reginae se praestant aulici, quippe qui COLUMBANI gravitatem ferre nequeunt. Tum femina Episcopos hortatur, ut COLUMBANUM, Regulae ejus detrahenda fama, apud Regem ignominiosum reddant (2). Rex ab his

(1) *Quo audito*, inquit JONAS, COLUMBANUS *literas ad eum* (THEODERICUM) *verberibus plenas direxit, comminaturque excommunicationem, si emendare dilatando non vellet. Vita Col.* cap. 33. Cum excommunicationis potestas apud Abbates non esset, hîc ea vox tantum intelligenda videtur de caritatis vinculo inter COLUMBANUM et Regem abrupto. Hae Literae non amplius exstant. Cf. *Hist. Litt. de la France*, l. c. p. 522.

(2) THIERRY concilium, quo COLUMBANUS in exsilium ejectus sit, his memorat verbis: *A l'instigation de cette reine, une accusation d'hérésie au premier chef fut portée devant un concile d'évêques contre l'homme qui avait osé se montrer plus sévère que l'église romaine sur la moralité*

omnibus sollicitatus Luxovium venit, graviter apud Abbatem queritur, quod ille a vulgari more multimodis desciscit, neque ad loca Monasterii secretiora omnibus Christianis aditum praebet. *Si*, inquit, *largitatis nostrae munera, et solaminis supplementum capere cupis, omnibus in locis omnium patebit introitus.* Ad haec vero COLUMBANUS respondit: *Si sicut nunc usque sub regularis disciplinae habenis constrictum fuit, violare conaris, nec tuis muneribus, nec quibuscunque subsidiis me fore a te scias sustentandum. Et si ob hanc causam hoc in loco venisti, ut servorum Dei coenobia destruas, et regularem disciplinam macules, cito*

---

de potentats barbares. Il fut condamné par sentence unanime et banni de la Gaule avec ses compagnons. Cf. *Histoire de la conquête de l'Angl. par les Normands, par* AUG. THIERRY, T. I. p. 91. Paris 1826. Sed nullam hujus Concilii mentionem apud scriptores veteres inveni. Cf. BOUQ. l. c. T. III. f. 113, 264, 341, 479 et 486. Nolo igitur, hujus vexationis culpa Episcopis attribuenda, fidem praebere huic viro doctissimo, qui in exponenda COLUMBANI vita diligentiam, quam omnes in ejus operibus admirantur, non adhibuisse videtur. Nam ubique COLUMBAM et COLUMBANUM ita confudit, ut res ab utroque gestas uni eidemque nomini tribueret. Quem errorem etiam commisit HASE l. c. p. 192 et 203. COLUMBA enim, quem memorat, *Hyensis* anno 565 diem supremum obiit, neque igitur GREGORIUM M. cognovit. Sed nomina tantum permutavit Cl. ROYAARDS, COLUMBANUM CHRISTI doctrinam Pictis annunciasse scribens in disputatione egregia, cui titulus: *Het Christendom in de Middeleeuwen*, in *Archief voor Kerkel. Geschiedenis, verzameld door* N. C KIST *en* H. J. ROYAARDS, D. II. p. 111.

noveris tuum regnum funditus ruiturum, et cum omni propagine regia demergendum. Rex, refectorio jam intrato, his verbis commotus progredi non audet, sed tamen COLUMBANO dicit: *Martyrii coronam me tibi illaturum speras: non esse me tantae dementiae scias, ut hoc tantum perpetrem scelus; sed potioris consilii tibi scias utilia paraturum, ut qui ab omnium saecularium more desciscis, qua veneras, ea via repedare studeas.*

Vide, quantum reverentiae horum temporum Monachi, virtutibus conspicui, hominibus quoque improbis incusserint. Et optime sane de aequalibus suis posterisque hoc nomine meriti sunt, quod, a blandiendo regibus et principibus alieni, vitia animorum vitaeque turpitudinem strenue fortiterque reprehendebant. COLUMBANUM quod attinet, non infitior equidem THEODERICUM ei haud injuste studium coronae martyrii sibi comparandae objicere, sed ut labem traxit aetatis suae, sic minuitur culpa ejus, quod rei turpissimae odio se commoveri passus est ad modum reprehendendi excedendum. Verumtamen cum aliis hoc commune habuit, ut sibi suaeque causae noceret. THEODERICUS nempe exacerbatus animo, quamquam COLUMBANUM interficere formidabat, eum tamen in exilium expellere, vel potius e Monasterio, cui viginti annos praefuerat, in patriam remittere constituit.

Sed primum BAUDULFO comiti mandatum dat curandi, ut ille Vesontium ducatur. Quod quidem eo fit consilio, ut quam facillime intelligatur, an Monachus

Regi resistere pergat. Hic vero non diu Vesontii commoratus, et videns se, a custodibus relictum, libere per urbem ambulare posse Luxovium revertitur (1). Quo audito, statim Rex illuc duos comites cum militibus mittit, ut virum Luxovio abire cogant, eumque Nannetas ducant, et hinc quam primum in navem transportent, qua in Hiberniam vehatur. COLUMBANUS, Luxovii apud Monachos suos manere volens, se armis tantum cessurum esse declarat. Eos ultro tamen sequitur, lacrimis permotus militum, qui et jussa regis negligere, et Sancto Viro, quam in Ecclesia cum universa Monachorum corona canentem et orantem inveniunt, vim inferre timent. Praeter COLUMBANI populares nemini Monachorum permittitur, ut comitentur Abbati, qui, multo cum dolore valedicens, eos tanquam filios relinquit parente orbatos. EUSTASIUM, qui postea COLUMBANO successor electus est, vi manuum a magistro carissimo avellere necesse est.

Jam Luxovio Nivernum petiit, ut inde scapha per Ligerim navigans versus Nannetas proficisceretur. Quemcunque autem in locum appellebat longo hoc

---

(1) NICETIUS, Episc. *Vesontinus*, inter Episcopos a BRUNEHILDE in COLUMBANUM excitatos non est recensendus; nam hac etiam tempestate se ei amicum certum ostendit. Legimus enim in vita ejus: *Non videbatur* B. COLUMBANO *se exilium passum esse, sed Dei Paradisi deliciis, quamdiu cum S. Episcopo mansit, interfuisse. Acta S. S.* m. Febr. T. II. p. 169 A.

itinere, honorifice tractabatur et bonis cumulabatur (1). Nannetis scripsisse videtur Epistolam illam ad *Discipulos et Monachos suos*, quae in hunc usque diem superest (2). Haud temere nempe Abbas sollicitus erat, ne absentia sua, aut inimici ad lites de Paschate renovandas, aut Monachi turbulenti ad serendam discordiam abuterentur. Lectores igitur, ne a via deflectant, his admonet verbis: *Quia juxta sermonem Domini orta est tribulatio et persecutio propter verbum, nulla nunc alia admonitio vobis congruit, nisi ut caveatis, ne sitis terra illa petrosa, quae semina non potest, sui tenuitate cespitis, accepta nutrire; ne et de vobis dicat Dominus: Orta autem tribulatione et persecutione propter verbum, continuo scandalizantur. — Timeo, ne propter Pascha sit discordia, ne forte, diabolo insidiante, vos alienare velint, si cum iis pacem non teneatis: infirmius enim nunc sine me ibi stare videmini. Idcirco cauti estote, considerantes tempus, quo sanam non sustinent doctrinam. Vos ipsos docete, et qui velint audire: tantum inter*

---

(1) Baronius hujus itineris historiam a Jona scriptam his memorat verbis: *Historiam scripsit, quam si integram legeris, plane disces totum illud iter exilii nihil aliud fuisse, quam longe ductum ejusdem Viri Dei triumphum, quo ipsius victoria adversus Reges, et eorum detestanda crudelitas signis atque prodigiis est ubique locorum decantata.* Sed rem auctor oratione exaggerat. *Ann. Eccl.* anno 612 num. X, T. XI. f. 115. Lucae 1742.

(2) *Bibl. Max.* l. c. f. 26 sqq.

vos non sit, qui unum non sit. Paci enim maxime provide, sollicitus semper servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Quid enim prodest habere corpus et non habere cor?

Cum autem iis, ut adversariis, quibus undique circumdabantur, resistere possent, opus esset concordia, ATTALAM iis commendavit, ut Praepositus crearetur. At hic tamen, si Luxovio migrare seque exulem sequi vellet, WALDOLENUM eligi jussit (1). His scriptis, ad ATTALAM se vertens, nonnulla adjecit, quae gravitatem muneris Praepositi in lucem collocarent. Ipse nimirum COLUMBANUS, ut ex hoc loco intelligitur, per viginti annos, quibus tantae Monachorum multitudini praefuerat, magnas difficultates expertus erat. Mirandum igitur non est eum discipulum adhortatum esse, ut suo exemplo prudentiam disceret. *Nolo*, inquit, *subeas tantum onus, sub quo ego sudavi. — Didicisti non omnia omnibus convenire monita, quia mores diversi sunt, et qualitates hominum longe distant inter se. Angustiae undique sunt, Charissime: periculum, si oderint, periculum, si amaverint. Scito*

---

(1) An revera ATTALA vel WALDOLENUS Monasterio Luxoviensi praefuerint, tacentibus rerum scriptoribus, incertum est. Ex vita tamen WALARICI l. l. cap. 9 compertum habemus, ibi post COLUMBANI abitum discordiam a Monachis seditiosis concitatam fuisse, quam EUSTASIUS, qui vulgo COLUMBANI successor censetur, demum sedavit. Cf. PAGI l. c. ad annum 613 n. VI.

utraque vera esse: in odio pax, in amore integritas perit. Quamquam igitur COLUMBANUS, ne homines magis quam Deum timere videretur, a reprehendendo rege desistere nolebat, ipsum tamen intellexisse videmus se causae suae melius consulturum fuisse, si, suorum salutem tantum curans, aliorum curam aliis reliquisset. Itaque nunc discipulo suadet, ut rem suam cautius instituat.

Et sic quidem Monachis suis scribens, se vix lacrymis temperare confitetur. Justo dolori nimium tamen non indulget. *Non enim*, ut ait, *fortis militis est in bello plorare. Non est hoc novum, quod nobis contigit: hoc maxime quotidie praedicebamus. Quidam Philosophus olim, sapientior ceteris, eo, quod contra omnium opinionem unum Deum esse dixerit, in carcerem trusus est. Euangelia plena sunt hac de causa, et inde sunt maxime conscripta. Haec est enim veritas Euangelii, ut vere* CHRISTI *crucifixi Discipuli eum sequantur cum cruce. — Itaque patienter sustineamus omnia adversa pro veritate, ut simus participes Domini passionum. Si enim compatiamur, conregnabimus.*

His in Literis insuper nonnulla sequuntur de perseverantiae difficultate, imprimis ob superbiae periculum, quod auctor hominibus piis imminere monet, si suis meritis potius, quam Dei misericordia nitantur. Sed supra hoc argumentum jam suo loco attigimus. Ceterum omnes hujus Epistolae partes non satis cohaerent. Habuit Abbas multa, quae absens Monachis suis praecipere cuperet, quin etiam plura, quam unius

caperet Epistolae spatium: nec tamen permisit ei gravior animi commotio, ut brevitati studeret. Hinc orta est quaedam confusio, quod ipse etiam vidit, cum scribendi finem facere volebat. *Sed jam nunc*, inquit, *finem epistola pergamenae* (1) *sumere cogitur*, *licet materiae magnitudine protendi longius compellitur: amor non tenet ordinem; inde missa confusa est. Totum dicere volui in brevi*, *totum non potui.*

Dum his in Literis scribendis occupatus erat COLUMBANUS, nuncius ei veniebat navem, quae eum invitum in patriam vectura esset, jam a Regis ministris parari. Quod cum Monachis suis scripsisset, continuo addidit: *Sed*, *si fugero*, *nullus vetat custos: nam hoc videntur velle*, *ut ego fugiam* (2). Ita COLUMBANUS. Et sane difficile dictu est, utrum THEODERICUS, ne culpam suam augeret, vel subditos suos, qui COLUMBANUM Dei legatum habebant, nimis exacerbaret, custodibus mandaverit, ut ejus faverent fugae, an vero custodes ipsi libertatis ejus quam exilii auctores esse maluerint. JONAS quidem narrat COLUMBANUM hac fugiendi occasione usum non esse, sed navem paratam adscendisse. His tamen scriptor ille addit navem, qua exul veheretur, bis tempestate in portum reje-

---

(1) *Pergamena* i. q. *Pergamenum*. Cf. DU CANGE *Gloss. ad Script. med. et inf. Latinitatis*, T. V. f. 386. Genitivus pendere videtur a praecedenti *Epistola*, nisi, quod praefero, in Ablativo legendum sit *Pergamena*.

(2) *Bibl. Max.* l. c. f. 28. A.

ctam esse, quo Deus perspicue significaret Abbatem nefario in patriam reduci. Itaque nautas tertio iter periclitari noluisse, ut Hiberniam cum eo comite peterent: COLUMBANO vero datam esse, et copiam in terram redeundi, et libere, quorsum vellet, proficiscendi: hunc tamen, quamquam se Divini Numinis favore defensum sentiret, Nannetarum et regni egressionem ratam sibi duxisse. Huc certe redeunt, quae apud JONAM leguntur; sed omnia, quae narrat, ut commixta sunt cum fabulis, ita simpliciter credenda non esse videntur. Evidenter autem ejus docet oratio, se COLUMBANI fortunam cum fortuna Vatis antiquissimi JONAE comparare voluisse (1).

Quidquid hujus rei sit, COLUMBANUS cum Monachis suis ad CLOTARIUM II, Neustriae regem, profectus est; quod tamen eo tantum consilio fecisse videtur, ut CLOTARII interventu facultas ei praeberetur in Italiam eundi: atque ab hoc inde tempore COLUMBANUS sedem, sibi in Gallia denegatam, in Italia figere constituit. Et, quamquam variis modis impeditus est, quominus quam celerrime illuc perveniret, omnes tamen difficultates superavit, donec voti sui compos fieret.

---

(1) Cf. *Vita* s. COLUMB. l. c. cap. 47. Forte auctor ad hanc comparationem adhibendam ipsius COLUMBANI verbis perductus est. Sic enim in Epistola, quam tractamus, scripsit: *Si in mare projiciar more* JONAE, *qui et ipse in Hebraeo* COLUMBA *dicitur, orate, ut vice ceti sit quidam felici revocans remigio tutus celator, qui* JONAM *vestrum terrae reddat optatae.*

CAPUT TERTIUM.

DE COLUMBANO IN ITALIA.

Clotarius II, qui anno 584 infans patri suo chilperico in regno Neustriae successerat, et sedem imperii *Suessonibus* habebat, columbanum ut coeleste munus recepit eumque precatus est, ut intra regni sui terminos resideret. Audiverat enim Rex, quantam injuriam Abbas, cujus a partibus omnes probos stare sciebat, a brunechilde, pessima regina eique infestissima, passus esset. Prudenter igitur intellexit clotarius talis viri defensionem sibi magnae commendationi fore apud populum, si aliquando Neustriam et Burgundiam subjicere vellet, quod jam eo tempore, cum theodebertus et theodericus imperitia et perversitate sua in perniciem ruerent, mente agitasse videtur (1).

(1) Michelet l. c. p. 247, martyrio s. desiderii, Episc. *Viennensis*, narrato, ita causas odii Francorum in brunechildem recensere pergit: *L'irlandais saint Colomban, le res-*

THEODERICI regnum non diu stare posse et Galliae conditionem consiliis CLOTARII valde favere, ipsum quoque COLUMBANUM animadvertisse necesse est; et inde explicandum puto, quod, dum Nannetas ducebatur, RAGAMUNDO custodi suo dixit: *Memento, o* RAGAMUNDE, CHLOTHARIUM, *quem nunc spernitis, intra triennium dominum habebitis.* Huic adjiciatur alterum, quo in eodem itinere Turonis coram CHRONOALDUM, THEODERICI ministrum fidissimum, usus est, *Si regis*, ajens, THEODERICI *vinctus es foedere, amico tuo et Domino laetus eris a me legatus directus. Haec ergo auribus ejus infer, et ipsum et suos liberos intra triennii esse circulum delendos, radicitusque stirpem ejus Dominum eradicaturum.* Atque idem illud ipsi CLOTARIO a COLUMBANO praedictum esse omnes scriptores testantur. Quum enim in aula hujus Principis versaretur, lite inter THEODEBERTUM et THEODERICUM de ditionis suae terminis orta, uterque CLOTARII auxilium contra fratris injuriam implorabat. Atqui Regem suadebat, ut neutri obtemperaret, quia utriusque regno intro triennium potiturus erat (1).

taurateur de la vie monastique, ce missionnaire hardi qui réformait les rois comme les peuples, parla à Theuderic avec la même liberté, et refusa de bénir ses fils: » Ce sont," dit il, » les fils de l'incontinence et du crime." Chassé de Luxeuil et de l'Ostrasie, il se réfugia chez Clotaire II, et sembla légitimer la cause de la Neustrie par sa présence sacrée.

(1) Cf. *Vita* S. COLUMB. cap. 48 apud MAB. l. c. f. 25, *Vita* S. WALAR. cap. 9 in *Act. S. S.* m. Apr. T. I. f. 19 et HARIULPHI *Chron. Centul.* apud BOUQ. l. c. f. 350.

His autem de causis mirum non est CLOTARIUM singulari favore COLUMBANUM fovisse, qui tamen apud eum manere recusavit. Abiturus autem hoc a Rege petiit, ut sibi faventem faceret THEODEBERTUM, quo per Austriam via in Italiam pateret. Unde vero explicanda sit optio, quam COLUMBANUS Italiae prae ceteris dederit Europae regionibus, minus testatum est. Hoc quidem verisimile est senem sibi quietem sperasse et tranquillitatem, quam se hac tempestate frustra in Gallia quaesiturum esse sciret (1).

De nonnullis erroribus, *quibus*, ait JONAS, *vix aula Regia caret*, castigato CLOTARIO, cum comitibus, sibi a Rege datis, ad THEODEBERTUM profectus est, qui

---

(1) Hoc COLUMBANI consilium valde displicet MICHELETO; *c'était*, inquit, *se tourner vers le monde fini, vers le passé, au lieu de regarder vers la Germanie, vers l'avenir. Ce défaut de sympathie pour les Germains, pour les travaux obscurs de leur conversion est la condamnation de Saint Colomban et de l'église celtique. Les missionnaires anglo-saxons, disciples soumis de Rome, vont recueillir dans l'Allemagne cette moisson, que l'Irlande n'a pu, ou n'a pas voulu cueillir.* l. c. p. 271 sq. Nimium libertatis studium, quod COLUMBANO cum popularibus suis commune erat, eorum conatibus ad doctrinam Christianam propagandam procul dubio valde nocuit. Sed COLUMBANI, GALLI, DEICOLAE, FRIDOLINI aliorumque, qui, patria relicta, ad populos Germaniae profecti sunt, nomina memorare sufficit, ut cuique persuasum sit non solos Anglo-Saxones hîc messem collegisse. Cf. MOORE l. c. p. 218 sqq. Et Longobardi, inter quos COLUMBANUS in Italia vixit, Germanis potius adnumerari debent, quam populis obsoletis.

Austriae, sive Galliae partibus Orientalibus praeerat. Theodebertus profugum laete excipit, quippe fratri theoderico et aviae brunechildi, quibuscum de regni finibus jam diu disputavit, infestus: unde anno sequenti (611), ut docent rerum Scriptores, bellum exstitit longe gravissimum. Consilio columbani in Italiam abeundi comperto, theodebertus eum omni opere apud se retinere studuit, locum ei opportunum ad Monasterium condendum, vel ad gentes barbaras melioris religionis doctrina instituendas promittens. Columbani tamen propositum mutare non potuit, hoc tantum ab eo impetravit, ut per aliquod tempus in Germaniae provinciis ei subjectis maneret. Variae autem causae fuerunt, cur columbanus non statim Italiam peteret: vicinitas nempe Burgundiae, ubi theodericus regnabat; gentium, quae interjacentes provincias tenebant, ferocitas; conditio tristior ipsius Italiae, cujus regiones Septentrionales incolebant Longobardi, magnam partem arii placita sequentes; studium denique, quo semper flagrabat, superstitionis veteris evertendae (1).

---

(1) Walafridus strabo in *Vita* s. galli cap. 3 causam, postremo loco allatam, tantum memorat, sic scribens: *Cumque et ipsum rogaret, ut ad Agilulphum, Regem Longobardorum, ejus jussu per Alamanniam duceretur, moleste ferens Rex tantorum discessum virorum, pollicitus est eis intra terminos regni sui se reperturum loca venusta, quae famulis Dei et ad incolendum essent commoda, et ad instruendas verbo veritatis circumpositas nationes opportuna. Vir Dei*

Facultate ei data sibi loci elegendi, ubi Regis auspiciis doctrinam Christianam populum docere posset, se versus Rhenum ad Austriae convertit provincias, quae hodie Helvetiae nomine dicuntur. Occupatae tunc erant a Suevorum gente inculta atque Deorum avitorum religioni dedita. Inter Discipulos, quos hujus itineris comites habebat, valde inclaruit GALLUS, quem jam secum ex Hibernia in Galliam duxerat. JONAS etiam EUSTASIUM memorat, quem tamen, utpote ex Gallia oriundum, quominus Magistrum comitaretur, milites THEODERICI prohibuerant. Luxovio igitur recta via in Austriam ad COLUMBANUM venisse videtur (1).

Primum Monachi ad Lacum Tigurinum, non procul a Lindimaco flumine, et quidem Tucconiae sedem figere voluerunt. Incolae erant homines rudes, Deorum simulacra superstitiose colentes, auguria et portenta observantes. Jam hos homines COLUMBANUS

---

semen verbi in cordibus gentium plantare desiderans, aliquantisper moraturum se promisit, si regia auctoritas factis dicta firmaret. Apud BOUQ. l. c. f. 474, et apud GOLDASTUM, *Alamannicarum rerum Scriptores*, T. I. part. 1 f. 253. JONAS tamen in *Vita* COL. cap. 56 et THEODORUS, Abb. *Campodunensis*, in *Vita* S. MAGNI apud CANISIUM l. c. f. 655 nos docent, COLUMBANUM tantum se *aliquod tempus ibi moraturum spopondisse, donec aditus ad Italiam panderetur.*

(1) EUSTASIUS usque ad annum 613, quo CLOTARIUS universam Galliam subjecit, apud Magistrum mansisse videtur. Tunc Luxovium reversus, Abbas creatus est. Cf. PAGI l. c. ad ann. 612 n. X et ad ann. 613 n. VI.

melioribus sensibus imbuere conatus est, sed frustra. Suis erroribus adeo serviebant, ut omnes conatus irritos redderent. Erant praeterea natura tam saevi, ut vita inter eos in perpetuo esset periculo. Quum igitur Abbas intellexerat se oleum hîc et operam perditurum esse, ulterius progredi visum est. Cum suis igitur pergens Arbonem, ibi invenit Presbyterum quemdam, WILLIMARUM, qui Brigantium locum esse monuit aptum et accommodatum, ubi Monasterium conderetur. Quo audito, Monachi huc sine mora tendunt (1). Per has autem regiones jam antea semina quaedam doctrinae Christianae sparsa, sed gentium barbararum vi penitus evulsa esse videntur (2). Nam, praeterquam quod COLUMBANUS Arbone in Presbyterum, supra memoratum, inciderat, Brigantii Oratorium in honorem s. AURELIAE conditum reperit, quod, cum a CHRISTI sectatoribus desertum esset, incolae Diis suis falsis consecraverant. Parieti nempe affixae erant imagines aereae, auro illitae, quas populus adorabat dicens: *Isti sunt Dii veteres et antiqui hujus loci tutores, quorum solatio et nos et nostra perdurant*

---

(1) Brigantium, hodie *Bregentz*, Sueviae urbs, olim nomen dedit lacui, qui nunc ab urbe Constantia Constansiensis dicitur, vel etiam Bodamicus (*Boden-see*) vocatur. Arbon, Helvetiae oppidum, in Pago Tigurino (Tigurum vel Turicum, hodie *Zürich*) e regione ad eundem lacum situm est. Tucconia hodie *Zug* appellatur.

(2) Cf. SCHRÖCKH. l. c. T. XVI. p. 261.

usque in praesens (1). GALLO autem mandavit, ut Suevis hujus cultus inanitatem ostendere iisque de doctrinae Christianae praestantia persuadere anniteretur. Et erat profecto GALLUS prae aliis hoc ad negotium aptus. Quanta enim fuerit in eo animi constantia vitaeque integritas, quanta in erudiendis hominibus indoctis prudentia, quanta denique in propaganda religionis Christianae doctrina vis et persuasio, perspicue et veterum declarant testimonia, et operae ejus monumenta. Magistro natu minor, corporis vigore superior, experientia ei aequalis fuit: sibi autem facilius illo peritiam cum barbaris loquendi parasse videtur. Quae causa, nisi fallor est, cur COLUMBANUS eo uti consueverit, quoties cum hominibus rudibus linguaeque Latinae ignaris verba facienda essent. Nam impositum ei jam in Gallia legimus officium auditoribus, quae ex Literis Sacris COLUMBANUS legeret, sermone eorum vernaculo interpretandi et illustrandi (2). Vel sic quidem Suevorum conversio ad meliorem sententiam minus ex votis successit. Quamquam enim pars ad Ecclesiam Christianam transierunt, pars CHRISTI

(1) Cf. *Vita s.* GALLI cap. 6 apud GOLDASTUM l. c. f. 253.

(2) WAL. STRABO GALLUM *non solum Latinae, sed etiam Barbaricae locutionis cognitionem non parvam habuisse* tradit. Suevos eadem fere lingua atque Francos usos fuisse probabile est. Neque etiam Suevi GALLO antea plane incogniti fuerant. Interdum enim in vicinia Luxovii vagabantur, et per loca inculta Vosagi latrocinia faciebant. Cf. *Vita* COLUMB. cap. 15 l. c. f. 12.

legatis manserunt infestissimi. Nec mirum sane, quoniam illi prisca eorum Sacra vituperabant, et Deorum templa et imagines destruebant. Itaque multa hìc etiam adversa acciderunt COLUMBANO, quae tamen, qua solebat, fortitudine biennium fere pertulit (1). *Interea*, inquit JONAS cap. 56, *cogitatio in mentem* COLUMBANI *ruit*, *ut Venetiorum*, *qui et Slavi dicuntur*, *terminos adiret*, *caecasque mentes evangelica luce illustraret.* Tum porro ait eum, ne hoc faceret, ab Angelo admonitum fuisse. Equidem crediderim COLUMBANUM, dum senectute et crebris aerumnis ejus vires jam deficere coepissent, iter meditantem intellexisse, hoc negotium senis non esse. Nam ut iter longum erat et difficile, sic Sclavos vel Venetos indolis saevae et a CHRISTO aversae esse acceperat.

Sed, dum COLUMBANUS Brigantii inter Suevos degebat, anno 612 bellum atrocissimum ortum est inter THEODERICUM et THEODEBERTUM, quos mutua in discordia jam diu vixisse supra diximus. THEODEBERTUS autem, Tulli a fratre fugatus, suos rursus colligit Tolbiaci, nec hoc tamen loco meliore utitur fortuna, sed confectis

(1) Si WALEFRIDO fides praebenda est, COLUMBANUS tres annos Brigantii degit. At reputantes tamen, eum anno 610 Luxovio ejectum esse et anno 612 Italiam petiisse, non credimus eum ibi cum comitibus suis integrum biennium commoratum esse. Nam diu certe versatus est in itinere, quod Luxovio Nannetas et inde per Neustriam et Austriam Brigantium fecit, et quod multis difficultatibus impeditum fuisse quisque intelligit.

ejus copiis, iterum fuga se servare cogitur. Tandem a militibus desertus, jussu THEODERICI, qui nunc Austriam regno suo adjungit, Coloniae cadit (1). Fama vero victoriae THEODERICI allata, COLUMBANUS se non amplius Brigantii tutum intelligit. Nunc igitur Italiam necessitate impulsus petit, relicto GALLO, ut, quae Magister incepisset, perficeret Discipulus. Neminem latet hunc virum rei Christianae in Helvetia Patrem et Principem jure meritoque haberi. Mirifice enim eam industria sua et fortitudine aluit et defendit. Quo factum est, ut Monachi Sangallenses per seculorum seriem universi hujus populi doctores essent, quibus non tantum rerum divinarum, verum etiam optimarum artium cognitio deberetur (2). Utique vero si

---

(1) THEODEBERTUM a fratre interfectum esse omnes tradunt scriptores: de eo tamen inter se non conveniunt, hocne Coloniae factum sit, an post tonsuram, instigante BRUNECHILDE, Mettis. Veterum testimonia legi possunt apud BOUQ. l. c. f. 115, 265, 326, 350, 482, 495 et 503.

(2) GALLUS febri inopinata, quominus Abbatem in Italiam sequeretur, impeditus est. MAGNO et THEODORO, qui postea Monasteria Campodunense (*Kempten*) et Faucense (*Fuessen*) condiderunt, mandatum erat, ut aegroto ministrarent. Sanitate recuperata, non diu Brigantii mansit; sed ad lacum Acronium in finibus Vindelicorum et Helvetiorum profectus est, ubi Coenobium nobilissimum aedificavit, ab eo *Sangallense* dictum. Hujus Coenobii Monachi, de patrono Scoto gloriantes, diu Scotorum ritum tenebant; Scotos interdum apud se excipiebant; Scholam denique habebant, quae ad Hiberniae normam instituta erat. Quo factum est, ut seculo nono et decimo in hoc Monasterio juvenes Literas Graecas

COLUMBANUS nullum aliud officium continenti Europae praestitisset, quam ut hunc ipsum GALLUM ex Hibernia duceret et Ecclesiae Helveticae praeficeret, jam omnino ille optime meruisse censendus esset. Sed age hunc Monachum comitemur alio proficiscentem.

Nunc igitur THEODEBERTI clade factum est, ut in Italiam se convertere cogeretur, nisi aut senectutis annos inter gentes barbaras consumere, aut in victrices THEODERICI, adversarii sui, manus incidere vellet. Et AGILULPHUS, Longobardorum Rex, quamquam Arianismo adhaerere pergebat, ob uxorem tamen suam et causas politicas Orthodoxos in sua ditione non tantum tolerabat, sed eodem, quo ceteros, habebat honore. At quaestio tamen est, quare COLUMBANUS per Longobardorum regnum Romam vel alium Italiae tractum non petierit, sed inter homines maximam partem Arianos vitae sibi superstitis posuerit tabernaculum. Hoc equidem eum fecisse non crediderim, quia ab Ecclesia Romana de *tribus capitulis* dissentiret. Nam, quamquam in Epi-

---

docerentur, quod de nulla alia Germaniae Schola dici potest. Inde etiam apparet origo ingentis librorum MSS. numeri, qui in variis Helvetiae Bibliothecis exstant, et tamen literarum forma aliisque indiciis se a Scotis vel eorum Discipulis descriptos esse produnt. De omni hoc argumento qui legatur, dignissimus est Cl. RETTIG l. c. in *Prolegg.* § 110 et 111. Qui ipse Veteres consulere vult, multa inveniet apud GOLDASTUM l. c. T. I. p. 1, CANISIUM l. c. T. I, MABILLONIUM l. c. Sec. II, et PERTZ l. c. T. I.

stola ad BONIFACIUM IV Paparum, hac in re tractanda, inconstantiam satis acriter vituperat, ex eodem tamen scripto luculenter apparet eum, antequam in Italiam veniret, de omni hac quaestione nihil audivisse (1). Quod facile intelliget, quisquis animum ad regiones attenderit, in quibus COLUMBANUS adhuc vixisset. Huc enim abtrusae illae nondum penetraverant lites, quibus Theologi Graeci mirifice delectabantur, quaeque interdum Romanam etiam Ecclesiam turbabant. Sed ut COLUMBANUS natura sua proclivis erat ad vivendum in solitudine, sic eam longo usu amare didicerat. Multos enim annos inter populos barbaros in locis desertis versatus, hominum aversabatur celebritatem, in qua praevideret fore, ut Romae aliave in urbe clariori vivere deberet. Neque eum BONIFACIUM IV tanti quoque aestumare, quanti GREGORIUM M. aestumaverat, ex ejus Epistolis facile intelligitur. Quum igitur summopere periculorum et aerumnarum finem sibi appeteret, gratus ab AGILULPHO locum accepit, ubi, ad vitam Monachicam reversus, suos inter Discipulos reliquum vitae tempus agere posset. Locus, qui appellabatur Bobium in Alpibus Cottis, non procul ab urbe Ticinensi, ad amnem Trebiam situs erat. Cernebatur ibi Basilica S. PETRI diruta. Jam vero hoc in solo COLUMBANUS Coenobium construxit,

(1) Cf. *Bibl. Max.* l. c. f. 31. C.

approbante quidem Rege, qui multis opibus illud donabat (1).

Quantum autem gratiae apud AGILULPHUM inive-rit, inde etiam apparet, quod ejus jussu ad BONIFACIUM IV de *tribus capitulis* scripsit. Quamvis autem Epistola ejus, ut cetera hujus viri scripta, multis locis librariorum imperitia turpiter affecta est, insigniter tamen ea ad illustrandam temporum illorum Historiam Ecclesiasticam inservire potest. Quid? quod inde COLUMBANI etiam sententia de sedis Romanae principatu melius quam aliunde cognoscitur. Sed antequam hanc Epistolam consideremus, paucis historiam litis de *tribus capitulis* res ipsa commemorari jubet (2).

---

(1) Cf. PAULUS *Diaconus*, *de Gestis Longobardorum*, L. IV. c. 15. p. 153. Lugd. Bat. 1595. *Italia Sacra auct.* FERD. UGHELLO T. IV. f. 925 sqq. PAGI l. c. ad ann. 613 num. V. Insuper legatur commentatio de *Bibliotheca Bobiensi*, quam AMEDEUS PEYRON praemisit operi suo continenti: M. TULLII CICERONIS *Orationum — Fragmenta inedita*. Stuttgardiae et Tubingae 1824. PEYRON Bobii situm his descripsit verbis: *In valle, quam Alpes Penninae ad Liguriam pertinentes efficiunt quasi circino circumductae, est urbs Bobium praeter oram Trebiae. Duae ad illam ferunt viae; altera a Viqueria secus amnem Staforam, altera a Placentia secundum Trebiam. Utraque primum patens et aperta; tum intra fluminis alveum modo lubrica, modo glareosa; dein ardua per montium juga; tandem per clivosos tramites praeceps; utraque iniqua, et triginta millia passuum.* l. c. p. 5.

(2) Qui Schismatis, cui ansam in Ecclesia Occidentali dedit lis de tribus Capitulis, naturam et indolem cognoscere vult,

JUSTINIANUS (525-565), cum Ecclesiae pacem majori diligentia, quam prudentia restituere studeret, varias lites et controversias inter Theologos excitaverat. Nimirum Orthodoxorum in gratiam ORIGENEM damnandum curavit, Monophysitis vero ut placeret, THEODORUM *Mopsuestenum*. At sic placandi studio utramque partem irritavit, quin etiam Ecclesiam Occidentis perturbavit, quietam antea et concordem. Imperator enim auctore THEODORO ASCEDA, Episcopo *Caesariensi*, edicto anno 544 edito, tria, quae dicuntur, Capitula damnabat. Nunc multi Ecclesiae Occidentalis Episcopi Concilii *Chalcedonensis* auctoritatem laesam esse contendebant; VIGILIUS vero, Episc. *Romanus*, hanc ob causam anno 548 Constantinopolin arcessitus, sibi persuaderi patiebatur, ut *Judicatum* ederet, quo Imperatoris sententiam approbaret. Sed Romam reversus, cum mutasset mentem, et alterum Imperatoris de tribus Capitulis edictum (551), invitis Italiae et Africae Clericis, agnoscere noluit, neque ad Concilium Oecumenicum V, Constantinopolin ab JUSTINIANO convocatum (553), profectus est, immo eo usque processit, ut tria Capitula in libro, quem *constitutum* dicebat, tueretur. At rursus anno post idem ille VIGILIUS, victoriis a NARSE repor-

---

legat disputationem Cl. KISTII de Ecclesia Aquilejensi, quae exstat in *Archief* s. c. D. I. p. 85 sqq. De schismate ipso inde a pag. 104. Cf. etiam GIESELER l. c. p. 643.

tatis tremefactus, decretis Concilii V probandis Imperatoris voluntati se subjecit. Successor ejus PELAGIUS I ceterique Episcopi Romani, VIGILIUM sequentes, Concilium V inter Oecumenica receperunt: quo in loco et numero illud permansit ad hunc usque diem. Nec tamen postea omnis hac de re disputatio sublata est, ut COLUMBANI docet Epistola ad BONIFACIUM IV, quae anno 614 i. e. annis fere sexaginta post obitum VIGILII scripta est. Hinc enim intelligimus discordias, quas Italiae incolae de tribus Capitulis agitassent, nondum compositas fuisse, sed adhuc viguisse adeo, ut COLUMBANUS, Rege Ariano auctore, Papae literas scriberet, quibus eum ad lites auctoritate sua sedandas hortaretur (1).

---

(1) Epistola exstat in *Bibl. Max.* l. c. f. 28 sqq. et apud PAGI l. c. ad annum 614 n. VIIX—XIII. AGILULPHUM eo tempore Arianum fuisse COLUMBANI verba perspicue docent. *Insuper*, inquit, *regis insistit jussio* AGILULPHI: *cujus postulatio me in stuporem ac in sollicitudinem posuit multiplicem; quippe quia non sine miraculo reor esse, quod video. Reges namque Arianam hanc labem in hac diu regione, calcando fidem Catholicam firmarunt; nunc nostram rogant roborari fidem.* Haec verba autem non ita intelligenda esse, acsi tunc AGILULPHUS aperte doctrinam Ecclesiae Catholicae amplexus sit, ex hujus Epistolae initio sequitur, ubi questus COLUMBANUS, quod per hoc schisma nomen Dei blasphemaretur et secta Ariana firmaretur, continuo addit: *Dum a Rege rogor, ut singillatim suggeram tuis piis auribus sui negotium doloris; dolor namque suus est schisma populi pro regina, pro filio, forte et pro se ipso; fertur enim dixisse, si certum sciret, et ipse*

Videlicet quamquam Longobardorum plerique, eidem Arianismo addicti, exiguum vel nullum his ex litibus detrimentum capiebant; illae inter indigenas tamen, quos armis suis subegerant, partium studia et odia pepererunt. Imprimis Papae Romani multorum sibi contraxerant reprehensionem, quod usque perseverabant in causa VIGILII defendenda, nec repugnantiam tamen tollebant, quae inter Concilium IV et V esse videbatur. Cum harum regionum incolis Regina dolebat AGILULPHI uxor, et eo magis quidem, quod hac dissensione Ariani a transitu ad Ecclesiam Catholicam cohibebantur.

Minus idoneus hujus quaestionis judex erat COLUMBANUS, qui de NESTORIO, et EUTYCHETE nihil aliud scivisse videtur, quam eos fuisse haereticos. Utrumque igitur in Epistola sua confundit, VIGILIUM, quem haereticorum defensorem dici audiverat, NESTORII, EUTYCHETIS et DIOSCURI causam pariter defendisse credens. Quid? quod verba ejus manifesto ostendunt se de rebus VIGILII ceterisque, quae in Concilio V acta essent,

---

crederet. In media vero Epistola auctor AGILULPHUM gentilem quidem appellavit, neque eo tamen nomine significavit Regem falsorum Deorum cultorem esse, sed hominem illius gentis, apud quam nunc ipse hospes esset. Quod ex hac apparet Antithesi: *sed quando Rex gentilis peregrinum scribere, Longobardus Scotum hebetem rogat cet.* Cf. DUCANGE l. c. T. III. f. 868. ubi legitur: Gentiles, *terrae indigenae.* De Longobardorum Arianismo prae ceteris, quos vidi, legi meretur Cl. VAN HENGEL l. c. p. 242 sqq.

nihil sibi habuisse cognitum, quam quod fando accepisset. Nam ut ad aliorum narrationes ubique provocat, ita quaestionem ipsam leviter tantum attingit, paucis contendens duas in CHRISTO esse naturas, humanam alteram, alteram divinam (1). At mentem tamen sic explicat, ut prodeat suspicio Pontificem Romanum ab omni errore liberum non esse et immunem. Sic enim pergit: *Si quis aliter de Incarnatione Domini senserit, hostis est fidei et abominandus est omnibus Christianis ac anathematizandus, cujuscunque ordinis, aut status, aut gradus fuerit; nullus enim ad injuriam Dei hominem honorare debet.* Probe autem sciens Pontifices Romanos subinde pollicitationibus vel terriculis ad sententiam mutandam permoveri, hanc sedis Apostolicae levitatem multo magis detestatur. *Non enim*, inquit, *decet Romanae Ecclesiae gravitatem haec instantis levitatis fama, ut qualibet re possit moveri a soliditate*

---

(1) Multis hujus Epistolae loci auctorem, nec varias de CHRISTI naturis lites distincte cognovisse, neque originem Schismatis Occidentalis bene perspexisse testantur. Haec describere sufficiet: *Dicunt enim* EUTYCHEN, NESTORIUM, DIOSCURUM, *antiquos, ut scimus, Haereticos, a* VIGILIO *in Synodo, nescio qua, in quinta receptos fuisse. Ecce causam totius, ut ajunt, scandali: si et vos sic recipitis, ut dicitur, aut si et ipsum* VIGILIUM *scitis sic infectum defunctum fuisse, quare illum contra sententias recitatis. — Et ideo si scriptum est in Synodo V, ut quidam mihi dixit, quod, qui duas substantias adorat, orationem suam divisam habeat; ille divisus est a Sanctis et separatus est a Deo, qui scripsit.* Bibl. Max. l. c. f. 30 D. et H.

verae fidei, pro qua tot martyres Dei suum sanguinem fuderunt, malentes mori quam convelli. Haec vero verba praecipue ad VIGILIUM referenda esse nemo negare poterit, qui inspexerit Epistolae initium, ubi legitur: *Vigila itaque, quaeso Papa, vigila; et iterum dico vigila: quia forte non bene vigilavit* VIGILIUS, *quem caput scandali isti clamant, qui vobis culpam injiciunt. Vigila primo pro fide, deinde pro operibus fidei jubendis vitiisque calcandis; quia tua vigilantia multorum erit salus, sicut e contrario tua securitas multorum erit vastatio.* — Ita COLUMBANUS. Sed tempus, quo VIGILIUS vixit, et historiam litis de tribus capitulis hîc etiam praetermittit silentio.

At majoris pretii nobis est COLUMBANI Epistola, quatenus ea docemur, quid de Episcopis Romanis senserit. Libertatis Christianae studium, quo Ecclesia Britannica illo tempore ceteris antecelluit, in his Literis se ubique conspicuum facit. Debitum quidem honorem auctor sedi tribuit Romanae, a duobus Apostolis constitutae, antiquitate et dignitate omnibus Occidentis Ecclesiis superiori. *Nos enim*, inquit, *ut ante dixi, devincti sumus Cathedrae S. Petri. Licet enim Roma magna est et vulgata, per istam Cathedram tantum apud nos est magna et clara. Quamquam enim Urbis quondam conditae nomen — longe lateque vulgatum erat; ex eo tamen tempore, quo Deus et Dei Filius esse dignatus est, ac in duobus illis ferventissimis Dei Spiritus equis,* PETRO *scilicet et* PAULO *Apostolis — ad nos usque*

pervenit (1), *ex tunc vos magni estis et clari, et Roma ipsa nobilior et clarior est, et, si dici potest, propter* CHRISTI *geminos Apostolos — vos prope coelestes estis et Roma orbis terrarum caput est Ecclesiarum, salva loci Dominicae resurrectionis singulari praerogativa* (2). Sed quo major sedis Romanae sit gravitas, eo majora officia Episcopis imposita esse judicat, illustrem illum in locum evectis. Quorum igitur esse ait, ut omnium virtutum et imprimis fidei purae et sincerae Christianis exemplum praebeant, quippe in quos omnium oculi conversi sunt. *Non sufficit tibi*, ita BONIFACIO scripsit, *quod pro te ipso sollicitus sis, qui multorum curam suscepisti. Cui enim plus creditur, plus ab eo exigitur. Ideo sicut magnus honor vester pro dignitate Cathedrae, ita magna cura vobis necessaria est*,

---

(1) In hac Epistola ubique se confitetur discipulum Ecclesiae Romanae; et inde CHRISTI doctrinam in patriam suam propagatam esse, ut hoc loco, sic etiam alibi disertis docet verbis. Quum nullos Haereticos in Hibernia fuisse dixerit, ita pergit: *sed fides Catholica, sicut a vobis primum, Sanctorum scilicet Apostolorum successoribus, tradita est, inconcussa tenetur.* Sic CUMMIANUS, COLUMBANI fere aequalis, ad SEGIENUM, Abbatem *Hyensem*, scribens, Romam Ecclesiam matrem vocat et de legatis illuc missis dicit: *Misimus, quos novimus sapientes et humiles esse, sicut natos ad matrem.* Cf. USSERIUS l. c. epist. XI. p. 24. Priscis Hiberniae incolis in mentem venisse non videtur, Ecclesiam suam originis Graecae fuisse.

(2) Ecclesiae Hierosolymitanae praerogativa a multis defendebatur. Cf. GIESELER l. c. p. 274 not. *l* et p. 497 not. *e*.

ut non perdatis vestram dignitatem propter aliquam perversitatem. Tamdiu enim potestas apud vos erit, quamdiu recta ratio permanserit; ille enim certus regni coelorum Clavicularius est, qui dignis per veram scientiam aperit, et indignis claudit. Alioquin, si contraria fecerit, nec aperire nec claudere poterit. — Ut ergo honore Apostolico non careas, conserva fidem Apostolicam, confirma testimonio, robora scripto, muni Synodo; ut nullus tibi jure resistat.

Hoc ex tota Epistola intelligitur, COLUMBANO, si Papam Haereticum dici nollet, ipsi tamen persuasum fuisse de socordia, quam prodidisset ille in vero tuendo, ut famae suae consulere negligeret (1). Hanc ob causam excitat BONIFACIUM, ut vel condemnandis iis, qui a sede Romana discesserint, Orthodoxiam probet, vel, si adhuc inde decesserit ipse, eo confestim redeat, omnibusque ostendat se nunc ab omni errore alienum esse. Attamen, si Pontifices Romani, quod COLUMBANUS ipse credere non vult, Haereticos revera recipiant, vel, quod eodem redit, VIGILII aliorumque, qui

---

(1) Scriptores Romano-Catholici cum neutrum velint, aut VIGILIUM ceterosque Pontifices reprehendere, aut COLUMBANUM, virum Sanctum, haereticum dicere, hunc per inscitiam erravisse ajunt. Ita e. g. Benedictini: *Saint Colomban au reste ne parle de la sorte dans cette lettre, que parce qu'il étoit mal instruit de la grande affaire des trois chapitres, et qu'il avoit été sans doute prévenu par Agilulphe, qui s'en étoit déclaré le fauteur. Hist. Litt.* l. c. p. 516. Cf. MOORE l. c. p. 209.

id antea fecerint, memoriam in laude habeant, jure meritoque ait ceteros Episcopos, quamquam inferiores, Papae resistere. Nam ut Sedis antiquitas alicujus sit pretii, ante omnia requiri monet religiosam fidei veterum observationem: quotquot inde deflectant, vel homines, in hujus culpae suspicionem adductos, defendant, inter Catholicos censeri non posse, sed judicio eorum subesse, qui in vero perseverarint. *Jam vestra*, inquit, *culpa est, si vos deviastis de vera fiducia, et primam fidem irritam fecistis: merito vestri juniores vobis resistunt, et merito vobiscum non communicant, donec perditorum memoria deleatur et oblivioni tradatur. Si enim haec certa magis, quam fabulosa sunt, versa vice filii vestri in caput conversi sunt, vos vero in caudam, quod etiam dici dolor est; ideo et vestri erunt judices, qui semper Orthodoxam fidem servaverunt, quicunque illi fuerint, etiamsi juniores vestri videantur.*

Columbanus autem, si hoc audacius proposuisse videatur, veniam a Bonifacio petit, quippe persuasum sibi habens se hoc scripsisse consilio, ut pacem restitueret. Se igitur ab omni vanitate vacuum profitetur, seque tuetur adversus eos, quos in vituperationem hoc versuros esse praevidet, quod ille homunculus tam praecelsis viris scripserit. Declarat igitur se ut amicum, ut discipulum, non ut alienum scribere voluisse. *Alii*, inquit, *detrahunt laeti in secreto; ego tristis ac dolens arguam in publico. Non igitur pro vanitate aut proca-*

citate scribere vilissimae qualitatis homunculus tam praecelsis viris praesumo. Dolor enim potius me, quam elatio, compellit vobis indicare, quod nomen Dei per vos contendentes utrinque blasphematur inter gentes. Doleo enim, fateor, de infamia Cathedrae S. PETRI. *Coram Deo et Angelis non confundar; laus est pro Deo coram hominibus confundi. Si exaudiar, commune lucrum erit; si despiciar, mea merces erit.* Sic in initio Epistolae, cujus in fine iterum veniam hoc petit modo: *Date quaeso veniam mihi, nimis injurioso asperoque cuidam loquaci, qui de tali causa aliter scribere non potui. Dum enim veritati per omnia placere volui, azima cum amaritudine non nesciens comedenda, soli Deo servivi, qui est benedictus in saecula. Ego tamen non trepidabo, neque in causa Dei linguas hominum formidabo, quae frequentius mentiuntur, quam vera loquuntur; cum potius verecundiae resistendum, quam ignaviae subjiciendum sit, ubi necessitas cogat.* Epistolam autem concludit proponenda pacis et caritatis dulcedine, seque precibus Papae commendando.

Haec igitur COLUMBANUS de litibus scripsit tria Capitula spectantibus. Praeterea vero eum etiam cum Arianis disputavisse nobis traditum est. *Dei consultu actum est,* inquit JONAS, *dum ille penes Mediolanum urbem moraretur, ut Haereticorum fraudes, id est Arianae perfidiae, Scripturarum cauterio discerpere et disecare vellet, contra quos etiam libellum florenti scientia edidit.* Hic tamen liber non amplius exstat,

et per haec tantum, nisi fallor, JONAE verba quaedam ejus notitia ad nos pervenit (1).

Nec multum nobis dicendum superest de rebus, quas postremo vitae tempore Bobii gessit. Id maxime egisse videtur, ut Monachis suis laboris assiduitatem et pietatis studium inculcaret. Nec tali sane tantoque Magistro se illi et nunc et post ejus excessum e vita praestiterunt indignos, immo ejus vestigiis tam diligenter ingressi sunt, ut hoc Coenobium Monachorum pietate et eruditione brevi celeberrimum fieret. In loco fere avio tuti vivebant a rapinis militaribus, quae alias Italiae partes illis temporibus vexabant. Quantum otii iis ab orando ceterisque pietatis exercitationibus et ab agris colendis supererat, ad bonarum Literarum studium adhibebant. Cum igitur sanctitatis fama, qua COLUMBANUS ejusque successores ATTALA, BERTULFUS, BOBELENUS ceteri fruerentur, factum esset, ut Monachi undique frequentes Bobium convenirent, simul magna librorum copia in hoc Monasterium illata est. In colligendis his antiquitatis monumentis imprimis Monachos Bobienses juvabat commercium, quod diu post COLUMBANI mortem cum Monachis Luxoviensibus, Sangallensibus et cum Scotis habebant (2).

(1) Cf. *Vita s.* COLUMB. c. 59 l. c. f. 28 et *Hist. Litt.* l. c. p. 522.

(2) PEYRON ita scripsit: *Recogitanti mihi non indoctam Sancti Viri pietatem atque itinera, per varias Europae provincias suscepta, recolenti mihi monasticae familiae in bonas literas merita, illud mihi in Bobiensi bibliotheca sese*

Libri Monachorum industria Bobii collecti, descripti et multis seculis conservati, post varios hujus Coenobii casus, inde in Bibliothecas translati sunt *Vaticanam*, *Ambrosianam* et *Taurinensem*, quae iis magnam celebritatis, quam consecutae sunt, debent partem.

Pauca de COLUMBANO notanda restant. Dum ille Bobii vivebat, CLOTARIUS anno 613, THEODERICO et BRUNECHILDE interfectis, universam Galliam sibi subjecit. Quo facto, Rex EUSTASIUM ad Magistrum legavit, ut eum Luxovium reducere conaretur. EUSTASIUS vero Bobium profectus, se comiter a COLUMBANO exceptum vidit, sed frustra tamen ei, ut in Galliam reverteretur, persuadere studuit. Itaque breve temporis spatium ibi commoratus, re infecta ad CLOTARIUM rediit: Literis tamen a Magistro acceptis, quibus Regi curam Monachorum Luxoviensium commendaret, eique et proponeret, quae ad vitae emendationem pertinere viderentur, et pro honorifica legatione sibi facta gratias ageret. CLOTARIUS, tantum abest, ut Abbatis monita aegre tulerit, ut iis, si JONAE fides est, grato animo obsecutus sit. Ab hoc certe inde tempore Mo-

---

offert religionis simul, simulque musarum hospitium, in quod literae cum ecclesiasticae, tum prophanae per illas tempestates jactatae, ex Hibernia, Galliis, Italia se receperunt, l. c. pag. 1. Cff. etiam Cl. BAKE in *Bibl. Cr. Nova*, T. III. p. 196-201, et Cl. SEEL in *Archief* s. c. D. IV. p. 249 sqq.

nasterium Luxoviense in eo fautorem habuit, benevolentia et liberalitate conspicuum. COLUMBANUS biennium post placide Bobii vixit. Die 21 Novembris anni 615, fato functus atque, ut ait AIMOINUS, *plenus sanctitatis et dierum, migravit ad Dominum* (1).

Varia apud sepulcrum ejus facta esse miracula Monachus quidam narravit Bobiensis, qui, regnante Hugone, medio seculo decimo vixit. Sed silentio praetermittimus fabulas aniles, quae ad Historiam illustrandam nihil plane conferunt, si hoc excipitur unum, monumenta in iis cerni, cum insanae credulitatis tum fraudis piae, quibus se homines varii generis aevo medio tradiderint (2). Utique miraculorum narrationibus ad celebritatem suam non indiget COLUMBANI nomen, quod aliis se et longe insignioribus notis commendat posteritati: exemplo pietatis verae et sincerae; laboribus ad

(1) THOMAS MOORE inter causas, cur COLUMBANI fama percrebuit, urbem recenset ab eo *San Columbano* dictam, quam tamen frustra in tabulis et Lexicis Geographicis quaesivi. *While Ireland*, inquit, *boasts of his birth, and of having sent forth, before the close of the sixth century, so accomplished a writer from her schools, France remembers him by her ancient Abbeys of Luxeuil and Fontaines; and his fame in Italy still lives, not only in the cheristed relics of Bobbio, but in the yet fresher and more every-day remembrance bestowed upon his name by its association with the beautifully situated town of San Columbano, in the territory of Lodi*, l. c. p. 209.

(2) Liber Miraculorum s. COLUMBANI exstat apud MABILLONIUM l. c. Sec. II. f. 40-55.

CHRISTI causam propagandam exantlatis; magnis denique meritis in Artium et Literarum bonarum studium omnemque humanitatem. Quae si mihi juveni contigerit quodammodo in luce collocare, operis suscepti me non poenitebit.

THESES.

I.

Quamquam PLATO, CICERO aliique Graeci et Romani Philosophi multa praeclara de rebus divinis disputarunt; Deum tamen, qualem nos, homines Christiani, nobis proponimus, in mente non habuerunt.

II.

Religionis Christianae praestantia minus haec est, ut hominibus officia sua exponat, quam ut viam ostendat et rationem ea bene ac diligenter observandi.

III.

Perspicue intelligimus ex Scriptis Novi Testamenti JESUM CHRISTUM non solum nulla unquam commisisse peccata, sed omnis etiam vitiositatis expertem fuisse.

IV.

Eadem vero Scripta luculenter docent homines omnino omnes non solum peccatorum reos, sed vitiositati etiam obnoxios esse.

V.

Jesus et Apostoli quidem pietatis et virtutis capita in luce collocaverunt, nec tamen aut proposuerunt, aut proponere potuerunt Doctrinae Moralis, quod ajunt, Principium.

VI.

Dubitandum non est, quin vocabulum כאדם Hos. VI. 7. vertendo reddendum sit, *sicut* Adamus.

VII.

Leviora sunt, quae nuperrime post alios disputavit Straussius, ut verba Matth. XXVIII. 19. a Jesu profecta non esse probaret.

VIII.

Dissentiunt inter se Viri Docti, utrum Senatores Judaeorum Suprema Jesu nocte ad eum interrogandum et damnandum semel, an bis convenerint. Sed illud longe probabilius quam hoc esse videtur; dummodo sumamus Matthaeum (XXVI. 59-68.) et Marcum (XIV. 55-65) pro more suo copulasse, quae duobus diversis noctis illius temporibus facta essent.

IX.

Verba τοῖς ἀποστόλοις πᾶσιν 1 Cor. XV. 7. opposita non sunt remotioribus τοῖς δώδεκα vs. 5, sed proxime praecedenti Ἰακώβῳ; nec memoriam referunt apparitionis Jesu Joan. XX. 26 sqq. sed vel ejus, quae traditur Matth. XXVIII. 16, vel alius, ab Euangelistis non memoratae.

X.

Ecclesiam Britannicam originis Graecae fuisse haud improbabile quidem, nec tamen certum est.

XI.

Perpetuam Episcoporum successionem, quae Apostolica dicitur, Ecclesia illa ante AUGUSTINI adventum non curavit.

XII.

Historia ejus luculenter docet medio aevo Rei Christianae ipsique humanitati valde profuisse regiminis formam, qua unus Pontifex Romanus toti Ecclesiae Occidentali praeesset.

XIII.

Abutuntur *Sacerdotis* appellatione, qui eam Antistiti Sacrorum Christiano tribuunt.

XIV.

Nihil sanctius et antiquius Antistiti Sacrorum esse debet, quam ut juventutem haud secus aestivo quam hiberno tempore ad doctrinam Christianam instituere conetur.